35-2-A-G

31

PARACLITO

SPIRITVI SANCTO

[illegible] VERO

omn[illegible] & Amorem.

Kyrie eleyſon. *Chriſte eleyſon.*
Kyrie eleyſon. Chriſte, audi nos.
Chriſte, exaudi nos.

Miſerere nobis.

Pater de cælis Deus,
Fili, Redemptor mundi Deus,
Spiritus ſancte, Deus,
Sancta Trinitas, vnus Deus,
Spiritus ſancte, à Patre, Filioque procedens,
Spiritus Domini, Deus Iſrael,
Dominator hominum,
Replens orbem terrarum,
Habens omnem virtutem,
Omnia bona operans, & omnia proſpiciens,
Ornans cælos, ſtabilis, & ſecure,
Spiritus Veritatis, omnia ſuggerens, & diſtribuens,
Spiritus Sapientiæ, & Intellectus,
Spiritus Conſilij, Fortitudinis, Scientiæ, & Pietatis,
Spiritus Timoris Domini, & prudentiæ,
Spiritus, quo inſpirante, locuti ſunt ſancti Dei homines,
Quæ ventura ſunt, annuncians,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Donum, & promiſsio Patris,
Spiritus ſancte, Paraclite, arguens mundum,
Spiritus, in quo dæmonia eijciuntur,
Spiritus, ex quo renaſcimur,
Spiritus, per quem charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris,
Spiritus adoptionis filiorum Dei,
Spiritus gratiæ, & miſericordiæ,
Spiritus adiuuans infirmitatem noſtram, & reddens teſtimonium ſpiritui noſtro quòd ſumus Filij Dei,
Spiritus ſuauis, benigne, ſuper mel dulcis,
Spiritus, pignus hereditatis noſtræ, deducens nos in terram rectam,
Spiritus principalis, viuificans, & confortans,
Spiritus ſalutis, iudicij, & gaudij,
Spiritus fidei, pacis, ardoris,
Spiritus humilitatis, charitatis, & caſtitatis,
Spiritus benignitatis, bonitatis, longanimitatis, ac manſuetudinis,
Spiritus lenitatis, veritatis, vnitatis, ac conſolationis,
Spiritus compunctionis, promiſsionis,
Spiritus renouationis, ac ſanctificationis,
Spiritus vitæ, patientiæ, continentiæ, ac modeſtiæ,
Spiritus omnium gratiarum,

Miſerere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis, Domine.
A ſpiritu erroris, *Libera nos Spiritus Dei viui.*
A ſpiritu immundo, *Libera nos.*
A ſpiritu blaſphemiæ, *Libera nos.*
Ab omni obſtinatione, & deſperatione, *Libera.*

Ab

Ab omni præſumptione, & veritatis contradictione,
Ab omni malitia, & praua conſuetudine,
Ab inuidia fraternæ charitatis,
A finali impœnitentia,
Per æternã à Patre, & Filio proceſſionẽ tuam,
Per inuiſibilem vnctionem tuam,
Per omnem gratiarum plenitudinem, quâ Virginem Mariam ſemper poſſediſti,
Per ſupereffluentem ſanctitatis abyſſum, quâ in conceptione Verbi, Matrem Die inundadare feciſti,
Per ſanctam, in Baptiſmo Chriſti, apparitionem tuam,
Per ſalutarem ſuper Apoſtolos aduentũ tuum,
Per ineffabilem bonitatem tuam, quâ Eccleſiam gubernas, Concilijs præſides, Martyres corroboras, Doctores illuminas, Religiones inſtituis,

Libera nos, Spiritus Dei viui.

Peccatores,
Vt in ſpiritu ambulemus, & deſideria carnis non perficiamus,
Vt te numquam contriſtemus,
Vt omnes Eccleſiaſticos Ordines in ſancta religione, & vero ſpiritu conſeruare digneris,
Vt cuncto populo Chriſtiano cor vnum, & animam vnam donare digneris,
Vt virtutum omnium complementum nobis donare digneris,
Vt nos exaudire digneris,
Spiritus Deus,

Te rogamus audi nos.

 Verſ.

Verſ. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur;
Reſp. Et renouabis faciem terræ.

OREMVS.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate eiuſdem Spiritus ſanct: Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

EMINENTISSIMO ET REV.^MO

DOMINO

D. IOANNI FRANCISCO

EX

COMITIBVS GVIDIIS

A

BALNEO

S. R. E. Cardinali

S. D.

BElgicæ hæ Prouinciæ, Eminentiſſime, & Reu.^me Domine, Hiſpano Regi adeò neceſſariæ, & vtiles ſunt, vt nulla ob impendia, opum patriarum euerſionem ac labores, eaſdem ſibi ille deſerendas ducat. Intuere primùm illarum ſitum. Galliæ, Angliæ, & Germaniæ conterminæ, illarum velut frenum ſunt: vt, quiſquis has poſſidet, multum ille in vicinos omnes iuris, & penè imperium habeat.

Secundò, prouincias has ipſiuſmet Hiſpaniæ ceu vallum eſſe, & munitiſſimum aduerſus omnes, à quibus impeti poſſet, aduerſarios propugnaculum: ſunt enim ſolæ per ſe pluſquam ſatis ad omnium Hiſpani nominis ho-

Prou. 16 tant, & ad arma vocant. *Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet à pacem.* Vtinam liceat pro fide Catholica ſanguinem fundere, vt olim Alcmarienſes ſex Martyres, ex Ordine Fratrum Minorum, Enchuſiæ, opido Hollandiæ, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, die vigeſimaquintâ Iunij, à Geuzijs necati: vt olim Gorcomienſes vndecim Martyres, ex Ordine Fratrum Minorum, alijque, Brielæ, Hollandiæ opido, eodem anno, die nonâ Iulij, fortiter obiêre mortem: vt olim Frater Guiliemus Gaudanus, ex Ordine Fratrum Minorum, Gertrude-bergæ, opido Hollandiæ, interemptus ſuſpendio: digni ſanè, qui à S.Sede Apoſtolica Catalogo Sanctorum adſcribantur.

Ad quod ſeriò Eminentiſſima, & Reu.ma D. V. allaborare deberet, quam Deus Opt.Max. Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, Reipub. Chriſtianę, & nobis, quàm diutiſſimè, & feliciſſimè ſeruet incolumem.

REV.DO AD.M DOMINO

AC PATRI

D. CHRISTOPHORO

OVTERIO

ORDINIS

PRÆMONSTRATENSIS

S. NORBERTI

ABBATI

GRIMBERGANO

S. D.

OLim Propheta Regius, Reu.de Ad.me Domine, lacrymabundus cecinit: *Dixit insipiens in corde ſuo: Non eſt Deus. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis: non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* At quàm ſtultè, & impiè dixerit hoc insipiens in corde, patet ex effectibus totius Vniuerſi. Age, Motum primò hunc rerum vides? cælum volui, & reuolui? aſtra habere diuerſos, vel aduerſos inter ſe curſus? Atque eos omnes certos, & ad legem: dic mihi, à quo præſcriptam? Sibi certè nemo normam hanc aſſiduę ſeruitutis indicet. Alius igitur? aſcende, & gradibus peruenies ad immotum illum, & omnia mouentem, Pſal. 13.

ucnterit. Et in Horologio, cùm gnomonem ſerpere ſenſim vides, non illic ſiſtis, ſed ad rotas, rotulaſque abis, & miraris, & denique manum, & ingenium auctoris primi: idem hîc
Eccle. 1. fac, & *Deum* repperiſti. *Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur: ibique renaſcens, gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.*

Secundò, Ordinem in Vniuerſo intuere: qui cum admiratione, vel ſtupore potius examinetur. Supera illa locum ſuum habent, & ſeruent; tum media, & ima: nihil exorbitat aut mutat. Ignis in terram non deſcendit, terra in cælum non aſcendit: aër, mare, flumina, locum fluxum, curſum ſuum ſeruant: omnia ex vſu, & decoro, vt melius, pulchriuſque nihil poſſit: & non Auctorem horum agnoſcis, & Rectorem? In domum aliquam magnam ſi veniſti, vbi aulæa expanſa, pauimenta conſperſa, ſedilia diſpoſita, vaſa expoſita, ſuccincti, & pexi miniſtri: an non ab ipſo illo ornatu dominum, cùm non vides, præſumis? Fac in
3. Reg. vere hoc mundo, & *Deum* habes. *Videns autem*
10. *regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini: non habebat vltrà ſpiritum. Dixitque ad regem: Verus eſt ſermo, quem*

audiui in terra mea, ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probaui, quod media pars mihi nunciata non fuerit: maior eſt ſapientia, & opera tua, quam rumor, quem audiui. Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiã tuam.

Tertiò, Conſeruatio rerum eò ducat. Diſſident elementa inter ſe, & à natura ijs eſt luctatio, & pugna: cur autem alia non interimunt, aut vincunt? cur tanto æuo in modo, & finibus ſuis perſeuerant? Ipſæ animantes dente, cornu, vngue, veneno noxiæ ſunt, aliæ alias inſequuntur: quid tuetur quodque genus, & ſeruat? Nos homines ſic aſperi, & aſſidui in bella, in mutuas cædes; quomodo non perdimus, aut perimus? Manent omnia, eriguutur, aut coërcentur: & vis profectò, atque imperium eſt, quod tam diuerſa continet, atque adſtringit: id autem eſt *Deus. Quis concluſit* Iob.3?. *oſtijs mare, quando erumpebat, quaſi de vulua procedens: Cùm ponerem nubem, veſtimentum eius, & caligine illud, quaſi pannis infantiæ, obuoluerem? Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia: Et dixi: Vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Quartò, à fine rerum ad principium, & caput eſt peruenire. Nónne agunt ſingula, atque etiam inanima ſpectant, & tangunt certum

aliquem

aliquem ſcopum? Atqui neſciunt illum, nec à ſe eligunt: tangunt igitur aliquo dirigente, qui ſciat, eligatque. Vt ſagitta ſponte ad ſcopum non peruenit, oculus eſt, qui collineat; manus, quæ impellit: ſic in iſtis, & ductorem, & directorem habent, quem niſi *Deum? Et*

4.Reg. 13. *ait Eliſæus (ad Ioas:) Affer arma, & ſagittas. Cumque attuliſſet ad eum arcum, & ſagittas, dixit ad regem Iſrael: Pone manum tuam ſuper arcum. Et cum poſuiſſet ille manum ſuam, ſuperpoſuit Eliſæus manus ſuas manibus regis, & ait: Aperi feneſtram orientalem. Cumque aperuiſſet, dixit Eliſæus: Iace ſagittam. Et iecit. Et ait Eliſæus: Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam: percutieſque Syriam in Aphec, donec conſumas eam.*

Latiùs autem hi effectus deſcribuntur in Pharetra iſta diuini Amoris, quo R. Ad^m. D. V. ardere quis dubitat? Proinde meritò R. Ad^m. D. V. inſcribitur, vt ex conſideratione creaturarum magis rapiatur in amorem diuinum, vt ſic Deum quotidiè diligamus in via, vt clarè aliquando eum videamus in patria.

Luc. 12. Nam & Chriſtus ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?*

Deus Opt. Max. Reu^dam. Ad^m. D. V. gregi ſuo, & nobis quàm diutiſſimè ſeruet incolumem.

INDEX
CAPITVM
PHARETRÆ
PRIMÆ
DIVINI AMORIS

De Mundo, Cœlo, Sideribus, & Elementis.

CAP. I.

DE *Mundo vniuerſo, ampliſsimo naturæ Domicilio.* fol. 1.
cap. 2. *Munduscœptus.* fol. 2.
cap. 3. *Mundus productus.* fol. 4.
cap. 4. *Mundus perfectus.* fol. 5.
cap. 5. *Mundus elaboratus.* fol. 9.
cap. 6. *Mundus conſtructus.* fol. 11.
cap. 7. *Mundus inſtructus.* fol. 13.
cap. 8. *Mundus ornatus.* fol. 14.
cap. 9. *Mundus ordinatus.* fol. 15.
cap. 10. *Mundus conſecratus.* fol. 17.
cap. 11. *De Cœlo, fornicato Mundi tecto.* fol. 18.
cap. 12. *Cœlum Empyreum.* fol. 19.
cap. 13. *Cœlum ſidereum.* fol. 21.
cap. 14. *Cœlum expanſum.* fol. 22.
cap. 15. *Cœlum figuratum.* fol. 23.
cap. 16. *Cœlum pellucidum.* fol. 24.
cap. 17. *Cœlum illuminatum.* fol. 25.

cap. 18.

cap 18. *Cœlum actiuum.* *fol.* 26.
cap. 19. *Cœlum paßiuum.* *fol.* 28.
cap. 20. *Cœlum cognoſcibile.* *fol.* 29.
Sidera. cap. 21. *Sidera, illuminatißima Mundi lumina.* *fol.* 31.
cap. 22. *Sidera fixa.* *fol* 32.
cap. 23. *Sidera vaga.* *fol.* 34.
cap. 24. *Sidera lucida.* *fol.* 36.
cap. 25. *Sidera obſcura.* *fol.* 38.
cap. 26. *Sidera amica.* *fol.* 39.
cap. 27. *Sidera inimica.* *fol.* 40.
cap. 28. *Sidera viſibilia.* *fol.* 41.
cap. 29. *Sidera menſurabilia.* *fol.* 43.
cap. 30. *Sidera gyrabilia.* *fol.* 45.
Elementa. cap. 31. *Elementa, prima ſurgentis Mundi triſtega, partibus quinis Elementa generatim.* *f.* 47.
cap. 32. *Elementa quaterna.* *fol.* 48.
cap. 33. *Elementa ornata.* *fol.* 49.
cap. 34. *Elementa variata.* *fol.* 51.
cap. 35. *Elementa mobilia.* *fol.* 52.
cap. 36. *Elementa alterabilia.* *fol.* 55.
cap. 37. *Elementa augmentabilia.* *fol.* 56.
cap. 38. *Elementa generabilia.* *fol.* 57.
cap. 39. *Elementa corruptibilia.* *fol.* 58.
cap. 40. *Elementa miſcibilia.* *fol.* 58.
Ignis. cap. 41. *Elementum Ignis.* *fol.* 60.
cap. 42. *Ignis natiuus.* *fol.* 61.
cap. 43. *Ignis artificioſus.* *fol.* 62.
cap. 44. *Ignis miraculoſus.* *fol.* 64.
cap. 45. *Ignis calidus.* *fol.* 67.

cap. 46.

cap. 46. *Ignis ſiccus.* fol.67.
cap. 47. *Ignis ſubtilis.* fol.68.
cap. 48. *Ignis leuis.* fol.70.
cap. 49. *Ignis actiuus.* fol.71.
cap. 50. *Ignis paſsiuus.* fol.73.
cap. 51. *Elementum Aëris.* fol.74. Aër.
cap. 52. *Aër natiuus.* fol.75.
cap. 53. *Aër artificioſus.* fol.76.
cap. 54. *Aër miraculoſus.* fol.77.
cap. 55. *Aër humidus.* fol.78.
cap. 56. *Aër calidus.* fol.79.
cap. 57. *Aër tenuis.* fol.81.
cap. 58. *Aër leuis.* fol.82.
cap. 59. *Aër actiuus.* fol.83.
cap. 60. *Aër paſsiuus.* fol.84.
cap. 61. *Elementum Aqua.* fol.85. Aqua.
cap. 62. *Aqua natiua.* fol.86.
cap. 63. *Aqua artificioſa.* fol.91.
cap. 64. *Aqua miraculoſa.* fol.92.
cap. 65. *Aqua frigida.* fol.97.
cap. 66. *Aqua humida.* fol.98.
cap. 67. *Aqua liquida.* fol.99.
cap. 68. *Aqua ponderoſa.* fol.101.
cap. 69. *Aqua actiua.* fol.102.
cap. 70. *Aqua paſsiua.* fol.104.
cap. 71. *Elementum terra.* fol.105. Terra.
cap. 72. *Terra natiua.* fol.106.
cap. 73. *Terra artificioſa.* fol.116.
cap. 74. *Terra miraculoſa.* fol.117.
cap. 75. *Terra ſicca.* fol.120.

cap.76.

cap. 76. *Terra frigida.* *fol.* 121.
cap. 77. *Terra grauis.* *fol* 123.
cap. 78. *Terra ſolida.* *fol.* 124.
cap. 79. *Terra actiua.* *fol.* 125.
cap. 80. *Terra paſſiua.* *fol.* 126.

FINIS.

APPROBATIO
CENSORIS.

PHaretra hæc prima Diuini Amoris, de Mundo, Cælo, Sederibus, & Elementis, auctore Conſtantio Peregrino, doctiſſima eſt, pia, & iucunda, quam meritò in lucem edi poſſe iudico, vt ex accurata eorum conſideratione, diuino Amore ardentes, in omnibus placere ſtudeamus Deo Opt. Max. Datum Bruxellæ, 2. Ianuar. 1619.

Henricus Smeyers, S. Theol. Licentiatus, Scholaſticus Bruxellenſis, Librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII

REGII.

PHilippi quarti, Regis Catholici, Belgarumque Principis, diplomate ſancitum eſt, ne quis intra annos ſex, Centurias Collationum ignearum, auctore Conſtantio Peregrino, præter ipſius voluntatem typis edat, aut foris editas, venales habeat. Si ſecus factum, iacturâ librorum, & mulctâ, indictis. Vti latiùs patet ex Indulto, Bruxellę dato, 20. Aprilis, 1630.

Signat

I. Le Compte.

PHARETRA I. DIVINI AMORIS.

CAPVT I.

De Mundo vniuerſo, ampliſſimo naturæ Domicilio.

MVndus vniuerſus, admirandũ Dei Opt. Max. opificium; à varijs variè pictus, fictus, ſcriptus, dictus. A Thalete, Artificium pulcherrimum: à Platone, Templum: à Cicerone, commune Deûm, hominumque domicilium: ab Orpheo, formatum Chaos: à Piſide, Schola creaturarum: à S. Baſilio, Auditorium, ſiue Exedra ſapientię: à Clemente Alexandrino, Scriptura publica, cuius tria ſunt folia, Cælum, Terra, & Mare; in quibus tot litterę, quot creaturæ. Mundus vniuerſus.

A Leone Magno, Magnũ Catholicum, continens quattuor Elementa, ſeu quattuor Euangelia Oecumenica, è quibus diſcimus, quod & prædicemus, & agamus: à S. Antonio, Codex naturæ: ab Apoſtolo, *Speculum ænigmaticum* eius, quem aliquãdo *videbimus facie ad faciem.* 1. Cor. 13. Ab Athenagora, Organum Muſicum, nume-

roſè motum: à P. Ludouico Creſſolio, Lyra, ſiue Teſtudo, cuius Nete ſint beati Spiritus, cæleſtes Orbes, eorumque lumina; Hypate verò, Terra, Mare, Elementa; chordæ mediæ, reliqua corpora.

A Pythagora, Ouum, cuius teſta ſit Cælum, vitellium, ignis; ſpiritus incluſi, Aer; albumen, Aqua; terra denique, partes reliquæ, magis concretæ. A Philoſophis Scholaſticis definitur eſſe Fabrica, ſiue Compages ex Cęlo, Terra, ceteriſque, quæ inter eam continentur, coagmentata corporibus. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.*

Ibid.

CAP. 2.

Mundus cœptus.

Mundus cœptus.

MVndus cœptus liberrimè: poſt infinita æuiternæ quietis Sabbata: tempore diuinæ Sapientiæ arbitrario: annis (ſecundùm Petauianum calculum) ante diluuium milleſimo quinquageſimo octauo: ante ortũ Abrahami anno milleſimo nongenteſimo quadrageſimo octauo: ante Iſraelitarũ migrationem bis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio: ante fabricationem templi Salomonici bis milleſimo nongenteſimo ſeptuageſimo tertio: ante Olympiadas ter milleſimo ducenteſimo

teſimo octauo : ante Romam conditam ter milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo : ante æras Nabonaſſari ter milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo : ante Babylonicæ ſeruitutis exitum ter milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo : ante faſtos Iulianeos ter milleſimo nongenteſimo trigeſimo nono: ante Imperium Rom. ter milleſimo nongenteſimo quadrageſimo primo : ante Chriſtum natum ter milleſimo nongenteſimo octuageſimo tertio : ante æras Martyrũ ſiue Diocletianas quater milleſimo ducenteſimo ſexageſimo octauo : ante Indictiones Romanas quater milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto : abhinc vniuerſim quinquies milleſimo ſexcenteſimo decimotertio : ſeriatim ſupputatis ex anno Characteriſtico , ſeptingenteſimo trigeſimo primo Periodi Iulianæ : Cyclo Solis ſecundo, Lunæ nono vſque ad eiuſdem annum ſex milleſimum trecenteſimũ quadrageſimũ tertium, Cyclo Solis decimoquinto , Lunæ decimoſexto , Indictonis decimætertiæ notabilem. Menſe, probabiliter Autumnali ; probabiliter Octili.

Die veriſimiliter vigeſimoſexto , ſi modò cœptam eius productionem , & imaginarios Chronologiæ logiſmos ſpectes , Lunâ proximè plenâ ; Sole æquinoctio , & ſignum Lunæ mox ingreſſuro : ſiquidem iam tum hi temporum Characteres extitiſſent.

Horâ quaſi primâ à medio noctis, iam in diem vergentis: &, ſi pijs coniecturis credimus, etiam Feriâ primâ, quam Hebræi Sabbatum, Chriſtiani appellamus Dominicam, facti, refectique Orbis, nunc Indicem, olim Vindicem futuram. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Gen. 1.

CAP. 3.

Mundus productus.

Mundus productus.

MVndus eſt productus facillimè: in nihilo ex nihilo: ab ipſo Deo Vni-Trino: ſolo: ſuauiſſimè operante; & tunc iucundiſſimè *ludente in orbe terrarũ*, velut in Organo Muſico: in quo diuerſa naturarum genera, varię rerum ſpecies, ac propagines, erant fiſtularum loco, efficiebantque ſuauiſſimũ totius Vniuerſi concentum: vicem pneumatis (quo animarentur fiſtulę) gerebat ille mundiuagus inſtinctus, nutus, & afflatus, quo Deus, ſiue Plaſtes, ſiue Pſaltes Mundi, omniũ rerum incrementa, ac progreſſiones peritiſſimè formabat, temperabat, & quaſi harmonicè modulabatur. Vnde etiam ſortè orta fuit illa Pythagoricorum harmonia, qui ferè primi Cœlos vocales fecerunt, & ibidem nidulantes crediderunt Sirenes: non vanè, ſi per illarum concentum nihil, niſi conſenſum, & harmoniacam partium ſymmetriam intellexiſſent.

Ab æterno ordinata ſum , & ex antiquis , ante-quam terra fieret . Nondum erant abyſſi , & ego iam concepta eram : necdum fontes aquarum eru-perant : necdum montes graui mole conſtiterant : ante colles ego parturiebar : adhuc terram non fe-cerat & flumina , & cardines orbis terræ . Quan-do, præparabat cælos , aderam : quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos : quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum : quando cir-cumdabat mari terminum ſuum , & legem pone-bat aquis , ne tranſirent fines ſuos : quando appen-debat fundamenta terræ ; cum eo eram cuncta componens : & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore , ludens in orbe terrarum : & deliciæ meæ,eſſe cum filijs hominum . Prob. 8.

CAP. 4.
Mundus perfectus.

MVndus eſt perfectus celerrimè , ſi cum mole operis comparetur mora laboris . Sacrę Ephemerides eam,non niſi ſextiduanam faciunt, hac ferè quotidianæ operationis ſerie continuatam . Mundus perfectus.

Die primo,hoc eſt , vigeſimo-ſexto , Octo-bri (imaginario) illud amœniſſimum æternæ Felicitatis Solarium , Mundique interioris Pomerium , (quod à nimio ſplendore Cælum Empyreum , ſiue Ignem appellamus) aiunt eſſe conditum , vnà cum ſuis incolis , Ange-lis : Bonis ibidem reſeruatis ; malis inde ocyùs Die 1.

exturbatis in primæuum orbis carcerem, Infernum, abditiſſimum in terra media. *Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei: poſſidete paratum vobis regnum à con-*
Matth. *ſtitutione mundi. Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris*
25. *erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelus eius.*

Terra eodem tempore, ceu fundamentalis lapis, ex ſui Nihili latomijs exciſa, ſecuturæ fabricæ fuit præſtructa, abyſſalibus aquis latiſ-
Gen. 1. ſimè circumfuſis: *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Paulò pòſt ingentem lucem, vel è diaphano aquarum corpore eductam, vel è fulgentiſſimo Cæli Empyrei ſolario diffuſam, & nonnihil obtuſam, noſtro ſimillimam diluculo, triduanam Solis (nondum conditi) vicariam, ſuo motu, diurna, nocturnaque tempora diſcriminaſſe.

Ibid. *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona: & diuiſit lucem à tenebris. Appellauitque lucem Diem, & tenebras Noctem.*

Die 2. Die ſecundo, hoc eſt, vigeſimoſeptimo Octob. ex intermedia aqua potiſſimam partem in Aërem, Ignem, & Cælum Sidereum, coagulatam.

Ibid. *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas, quæ erant ſub*

ſub firmamento, ab his, quæ erant ſuper firmamentum.

Die tertio, hoc eſt, vigeſimo octauo Octob. ex reſiduarum aquarum diffuſione, Terram, paſſim detectam, alibi in montes elatam, alibi in valles deiectam, alibi cauernis hauſtam, vbique diffuſarum aquarum hoſpitam factam, cumque iiſdem in vnam communem ſphæram, & quaſi rotundam ſpongiam, coïuiſſe. Die 3.

Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum, & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationeſque aquarum appellauit Maria. Ibid.

Quarto die, hoc eſt, vigeſimo nono Octob. Solem, Lunam, ac reliqua Sidera choragia in cœleſtem ſcenam producta. Die 4.

Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti: & ſtellas. Et poſuit eas in firmamēto cœli, vt lucerent ſuper terram, & præeſſent diei ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras. Ibid.

Quinto die, hoc eſt, trigeſimo Octobris, ex communi aquarum gremio, auium, & piſcium ſobolem progenitā: illas in aëra dimiſſas, hōs in materno ſinu retentos: *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli. Creauitq; Deus Cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundùm genus ſuum.* Die 5. Ibid.

Die 6. Sexto die, hoc eſt, trigeſimo primo Octob. poſt terreſtrium animalium geneſin, tandem Adamum, qui imperaret vniuerſis, de limo terrę formatum, ad imaginem, & ſimilitudinem ipſiuſmet Coſmopœi: *Et fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo. Et vidit Deus, quòd eſſet bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, vniuerſæq́ terræ, omniq́ reptili, quod mouetur in terra.*

Ibid.

Deinde, ex dormientis coſta Euam, coniugem factam: *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cumq́ obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam.*

Gen. 2.

Vtrumque Paradiſo colendo præfectum: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.*

Ibid.

Die 7. Diem denique ſeptimum, hoc eſt, primum Nouembrem, hebdomadariæ quieti, ac feſtiuæ ſextiduani Operis theoriæ datum: *Compleuitq́ Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat: & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrârat. Et benedixit diei ſeptimo & ſanctificauit illum quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus, vt faceret.*

Ibid.

Paulò pôſt Adamum in Achariſtiã lapſum: *Vidit*

Vidit igitur mulier, quòd bonũ eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq́ue delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditq́ue viro ſuo, qui comedit. Gen. 3.

Ac felici Domicilio eiectum, hereditariâ poſteritatis clade: *Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt. Eiecitq́; Adam: & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atq; verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Ibid.

CAP. 5.

Mundus elaboratus.

Mundus eſt elaboratus artificioſiſſimè ad amuſſim ſui Prototypi, in Ideis diuinis ab æterno (& idengraphicè, & orthographicè, & ſciographicè) deſcripti. Mundus elaboratus.

Secundùm quod inprimis vniuerſa Mundi fabrica, Cœlo Empyreo, velut quodam Pomerio, circumſcripta: iacta deinde fundamenta, nimirum ingens terræ moles, præuiæ inanitatis centro innixa: *In principio creauit Deus Cœlum, & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Gen. 1.

Huic porrò ſuperſtructa mundi ſurgentis Triſtega, ſcilicet Aqua, Aër, Ignis: reliqua denique celſiſſimè faſtigiata in Cœlum intermedium, eiuſq́ue circulari ambitu artificioſiſſimè

fornicata : omnia vbiquè ſolertiſſimè digeſta : ſumma imis, media extimis, ſingula ſingulis ita copulata, vt mutuo complexu mirum diuerſitatis nexum efficiant, quamlibet inimico Vacuo occluſura rimulam. Omnia porrò mutuæ, perpetuæque operationi accommodata, ſecundùm debitam agentium, patientiumque diſſimilitudinem, diſtinctionem, ac propinquitatem.

Omnia denique, ſuis definita terminis, ſiue illa ſitu conſiſtant, ſiue motu fluant : vltra quos ire non liceat citra interitum, iniquæ ſiue magnitudini, ſiue paruitati decretum : vt vel hinc cum Seneca diſcamus, *Non ſine aliquo Cuſtode tantum opus ſtare, nec hunc ſiderũ certum diſcurſum fortuiti impetus eſſe : hancque inoffenſam velocitatem procedere æternæ legis imperio, tantum rerum terra, mariq́; geſtantem, tantum clariſſimorum luminum, & ex diſpoſitione lucentium: non eſſe materiæ errantis hunc ordinem : neq; quæ temerè coïerunt, tantâ arte pendere, vt terrarum grauiſſimum pondus ſedeat immotum, & circa ſe properantis cœli fugam ſpectet.*

Vt infuſa vallibus maria modiant terras, nec vllum incrementum fluminum ſentiant: vt ex minimis ſeminibus naſcantur ingentia: ne illa quidem quæ videntur, confuſa, & incerta, (Pluuias, dico, niueſq;, & eliſorum fulminum iactus, & incendia, ruptis montium verticibus effuſa, tremores labantis ſoli, & alia, quæ tumultuoſa pars rerum circa terras mouet) ſine ratione, quamuis ſubita ſint, accidere:

cidere: ſed ſuas & illa cauſas habere, non minus quàm quæ alienis locis cōſpecta miraculo ſunt. Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlo. Pſal. 8.

CAP. 6.

Mundus conſtructus.

MVndus conſtructus eſt mirificè: totque in eo miracula, quot opera: imò in ſingulis propemodum infinita diuinę Thaumaturgiæ ſimulacra: ex multis paucula olim Coſmopotus ipſe ſuo in ærumnis Iobo philoſophanti propoſuit diſputanda. Mundus conſtructus.

1. Terram, ceu angularem lapidem, in centrum mundi demiſſam, eiuſque baſes, ſeipſis ſtabilitas, librataſque quaſi ad funiculi menſuram: *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ?* Iob. 38. *indica mihi, ſi habes intelligentiã. Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem eius.*

2. Mare, vbique diffluum, ſuis oſtijs concluſum, & diuino imperio velut vecte oppeſſulatum; imò nubibus, & nebulis, ceu infantiæ pannis, conuolutum: *Quis concluſit oſtijs mare, quando erumpebat, quaſi de vulua procedens? Cùm ponerem nubem, veſtimentum eius; & caligine illud, quaſi pannis infantiæ, obuoluerem? Circumdedi illud* Iob. 38.

Illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia. Et dixi: Vſq; huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.

Ibid. 3. Niuium theſauros, in locupletiſſimo aëris promptuario reconditos: *Numquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti?*

Ibid. 4. Grandinum iacula, in eodem Armamentario præparata: *Quæ præparaui in tempus hoſtis, & in diem pugnæ & belli?*

Ibid. 5. Imbrium curſum. *Quis dedit vehementiſſimo imbri curſum & viam ſonantis tonitrui?*

6. Viam ſonantis tonitrui.

Ibid. 7. Pluuiarum origines, & multiplices per tot occultos meatus, quaſi artificioſos ſyphunculos, diſtillantium ſparſiones: *Quis eſt pluuiæ pater; vel quis genuit ſtillas roris?*

Ibid. 8. Fluminum lapideſcentem glaciem: *De cuius vtero egreſſa eſt glacies? & gelu de cœlo quis genuit? In ſimilitudinem lapidis aquæ durantur, & ſuperficies abyſſi conſtringitur.*

9. Siderum errores, & Hermonicas cum inferiore mundo conſpirationes:

Ibid. *Numquid coniungere valebis micantes ſtellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris diſſipare? Numquid producis Luciferum in tempore ſuo, & Veſperum ſuper filios terræ conſurgere facis?*

Ibid. 10. Animalium partus, paſtus, latibula, opera. *Numquid capies leænæ prædam, & animam catulorum eius implebis? Quando cubant in antris, & in ſpecubus inſidiantur? Quis præparat coruo*

eſcam

eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eò quòd non habeant cibos?

Quibus meritò annumeranda Apis ædificia, Formicæ horrea, Araneæ retia, Bombycis ſtamina, maxima minimæ naturæ miracula, nullis artificũ induſtrijs imitanda: *Vade ad formicam, ò piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat.* Prou. 6.

CAP. 7.

Mundus inſtructus.

MVndus eſt inſtructus locupletiſſimè, perpetuâ rerum omnium annonâ, per illum liberaliſſimum Oeconomum, de quo dicitur: *Oculi omnium in te ſperant, Domine: & tu das eſcam illorum in tempore oportuno. Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.* Mundus inſtructus. Pſ. 144.

Præcipuè hominem, cui ſoli lucent Sidera, coguntur Nubes, funduntur Imbres, aſſurgunt Montes, deſcendunt Valles, currunt Flumina, fluctuant Maria, germinat Terra, prolificat Aqua, parturit Natura vniuerſa, & Mundus totus fit quaſi ſuburbanũ quoddam horreum, ſuoque Colono, tam multa hinc poſcenti ſubminiſtrat omnia, ſiue ad tutelam, ſiue ad nitelam, abundanter, perenniter, vbique: & (vt veriſſimè dixit Seneca) *Puſilla res foret Mundus, ſi non illo, quod quærat, omnis Mundus haberet.*

Quid

Pſal. 8. *Quid eſt homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minus ab Angelis: gloria, & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſuper opera manuũ tuarum. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius: oues, & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi. Volucres cæli, & piſces maris: qui perambulant ſemitas maris.*

CAP. 8.

Mundus ornatus.

Mundus ornatus. MVndus eſt ornatus venuſtiſſimè, multiplici elegantiâ, ex illo immenſo increatæ pulchritudinis pelago effuſâ, & diffuſâ.

1. In Cælos, cælorumque incolas, ſiue Angelos, ſiue ſtellas, ibidem quaſi gemmas perpetuo fulgore radiantes, & velut ſtationarios milites, in illis ſublimibus tentorijs pro ſupremo Domino exercituum excubantes, & non rarò contra ſeditioſum mundum præliantes. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam.* (Pſal. 18.)

2. In Ignem, ſiderei fulgoris æmulum.

3. In Aërem, tralucentium formarum Siparium.

4. In Aquam, natiuum alienæ elegantię ſpeculum.

5. In Terram, tot gemmis oculatam, tot floribus

bus picturatã: *Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyſsi: Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius. Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri. Beſtiæ, & vniuerſa pecora: ſerpentes, & volucres pennatæ.* Pſ. 148.

6. In hominem denique ipſum, pulchritudinis paſſim ſparſæ compendium, ſpectatore ſuo digniſſimum. *Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum.* Sap. 2.

CAP. 9.

Mundus ordinatus.

Mundus ordinatus.

MVndus ordinatus eſt ſapientiſſimè, ad formam Reipublicæ, ex anguſtiſſimo ſui nihili tuguriolo excreſcentis in ampliſſimam ciuitatem, immenſo cælorum ambitu, quodam quaſi Pomerio, circumſcriptam; nec non variâ deſcriptam œconomiâ, diſtributamque in multiplices condendæ ſupellectilis categorias. Ita metalla, & gemmarum pretia, ſub terræ gremio, velut ærario publico recluduntur. *Phiſon circuit omnem terram Heuilath; vbi naſcitur aurum: & aurum terræ illius optimum eſt: ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus.* Gen. 2.

Ex terra (natiuo viridario) herbæ, frutices, arbores germinant, fœcunditate innumerâ: *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria* Num. 23

tua

tua Iſrael! Vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi cedri propter aquas.

Supra terram animalia greſſilia, & reptilia.

Gen. 1. *Et fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo.*

In aquis piſces, in aëre aues, velut in regijs

Ibid. viuarijs vagantur: *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli. Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas: & omne volatile ſecundùm genus ſuum.*

Quibus ſingulis homo, vſurarius Mundi colonus, præeſt, œcumenico Imperio, etiam po-

Ibid. ſteris hereditario: *Et vidit Deus, quòd eſſet bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæque terræ omnique reptili, quod mouetur in terra.*

Vſque dum olim ex anguſta mortalitatis colonia, in ampliſſima illius auguſtæ Patriæ ſpatia migrabimus, nempe collabentis mundi

2. Cor. 5 ruderibus ſubducti: *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.*

CAP.

CAP. IO.

Mundus conſecratus.

MVndus conſecratus eſt ſanctiſſimè, in templum baſilicum, viſibile inuiſibilis Maieſtatis monumentum, vbique diuinâ omni-præſentiâ ſanctificatum; cui pro concamerata teſtudine Cælum: pro teſſelato pauimento, tot floribus, lapidibuſque picturata, tellus: pro inductis opere muſiuo parietibus, ludibunda rerum mixtura: pro Ara, humanus animus: pro dedicandis muneribus, naturę opes: ipſe denique homo ſit liturgus, qui vnà, cum miniſtris, Angelis, vniuerſas creaturas, in obſequoſum holocauſtum congregatas, ſuo Creatori deuoueat. Mundus conſecratus.

Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. Malach. 1.

Et eundem in tanta rerum vtilitate optimum, in tanta amplitudine maximum, in tanto decore pulcherrimum, in tanta varietate ditiſſimum, in tanta earumdem perpetuitate conſtantiſſimum agnoſcat, colat, & adoret. *Quàm bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde? Mei autem penè moti ſunt pedes: penè effuſi ſunt greſſus mei. Quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.* Pſal. 27.

teria ſublunari; forma ſublimiore, & non tantùm ab Elementis (puris & impuris) ſed etiam à Stellis diſtinctiſſima; haud tamen vitali, vt Origenes: nec terrea, vt Empedocles; nec aërea, vt nonnulli Mathematici; nec ignea, vt Platonici; nec ex floribus, & delicijs Elementorum conflatum, vt Pythagorei ſomniabant: productum Empyreum die primâ: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Sidereum ſecundo: *Dixit quoq́; Deus: Fiat Firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus Firmamentum, diuiſitq́; aquas, quæ ſub Firmamento erant, ab his, quæ erant ſuper Firmamentum.* Gen. 1.

Vtrumq; actione creatiuâ, quoad materiam: ſecus quoad formam: ignobilius ſecundùm quid quouis vermiculo: nobilius abſolutè, & omnino digniſſimũ, quod etiam in ſacris litteris nominetur opus digitorum Dei. *Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Alibi: *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti.* Pſal. 18. Pſal. 8.

CAP. 12.

Cœlum Empyreum.

COelum Empyreum, eſt ſupremum Mundi creati Palatium: ſereniſſimum diuinæ Maieſtatis conopœum: appellatum variè: in litteris ſacris: Cœlum cœli: *Cœlum cœli Domino:* Cœlum Empyreum. Pſ. 113.

no: terram autem dedit filijs hominum.

Matth. 5 Thronus Dei: *Ego autem dico vobis, non iurare omninò; neque per cœlũ, quia thronus Dei eſt.*

Act. 7. Iſa. 66. Sedes: *Sed non excelſus in manufactis habitat, ſicut Propheta dicit: Cœlum mihi ſedes eſt.*

Luc. 6. Tabernaculum: *Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

2. Cor. 12. Paradiſus: *Et ſcio huiuſmodi hominem, quoniam raptus eſt in Paradiſum.*

Matth. 3 Regnum: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.*

Ioan. 14 Domus: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.*

Apoc. 21 Ciuitas ſancta: *Vidi ſanctam ciuitatem, Ieruſalem nouam deſcendentẽ de cœlo à Deo, paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Et erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide: ipſa verò ciuitas, aurum mundum ſimile vitro mundo. Et fundamenta muri ciuitatis, omni lapide pretioſo ornata. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt, per ſingulas: & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis: & platea ciuitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum.* Myſticè, an etiam Phyſicè?

Diſtinctum credibiliter tribus regionibus, ſiue partibus: quarum media tota ſpirabilis, & connaturalibus Glorioſorum corporum functionibus accommodata: extimæ verò ſolidiſſimæ, & in modum tum tecti, tum pauimenti duratæ: vt ſic etiam ipſum Cœlũ Empyreum, ſeu

ſeu primariũ Orbis Palatium, ſuos incolas verè cingat, ferat, tegat. *Beati, qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Pſal. 83.

CAP. 13.

Cœlum ſidereum.

COelum ſidereum, originis nexu, aquis elementaribus (vnde prodijt) nonnihil cognatum: *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his, quæ erant ſuper firmamentum.* Cœlum ſidereũ. Gen. 1.

Sic dictum ab ingenitis Sideribus: reipſa vnum: ordine potiſſimum duplex, Superius, & Inferius: illud aſtris fixis, hoc vagis, ſeu Planetis deſtinatum: vtrumque à ſuis incolis realiter diſtinctum, nec non varijs imaginarijs orbitis diſcriminatum, ſecundùm ſingulorum Siderum diuerſa itinera, & ambitiones.

Superius peculiari nomine Firmamentum appellatur, quòd nimirum ſua circulari complexione, ſeu concameratâ teſtudine, non tantùm illa fixa Sidera, ſed etiam reliqua intermedia corpora firmet, ſuiſque natiuis locis, & diſpoſita contineat, & diſtracta reſtituat, communi influentium beneficio. *Vocauitq; Deus Firmamentum, Cœlum.* Ibid. Inferius ab inerrantibus Planetis plerumque Planeticũ, ſiue Erraticum vocatur: *Fecitq; Deus duo luminaria magna: lumi-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ibid. *nare maius,vt præeſſet diei:& luminare minus, vt præeſſet nocti:& ſtellas.*

Vtrumque triplici quaſi contignatione (ſupremâ,mediâ, infimâ)dimenſum:in Cœlo Superiore mediam incolunt Signa Zodiacalia;ſupremam,& infimam,Borealia,& Auſtralia: ſic etiam in Cœlo inferiore,ſuprema Saturno, Ioui, Marti; infima Veneri,Mercurio,Lunæ,media Soli,nempe Planetarum Regi Regia, attribuitur. *Et poſuit eas in Firmamento cœli, vt lucerent ſuper terram,& præeſſent diei, ac nocti,& diuiderent lucem,ac tenebras.* Ibid.

CAP. 14.

Cœlum expanſum.

Cœlum expanſum.

COelum eſt expanſum. 1. latiſſimè, ſuper omnia intermedia corpora, inter quæ Terra remotiſſima, ſecundùm diſtantiæ proportionem,cenſetur eſſe punctum indiuiſibile.

2. Vaſtiſſimè,propter tot,tamque varios Siderum curſus, ac gyrationes, immenſo quaſi campo indigas.

3. Firmiſſimè, ſiue eius durationem (tot ſæculis inuariatam) ſpectes; ſiue etiam conſideres duritiem,quaſi ære fuſam, voluendis tamen Sideribus peruiam,atque penetrabilem: eo ferè modo, quo nonnemo putat, poſt communem illam anaſtaſin, ſolidiſſima Beatorum corpora, inuicem penetrabilia fore, propter ſolam ab-

ſentiam

ſentiam illius modi, qui extenſis corporibus ſuperadditus, illa in eodem ſpatio incompoſſibilia facit: *Tunc iuſti fulgebunt, ſicut Sol, in regno Patris eorum.* Iiſdem (ſuperlunaribus naturaliter, ſublunaribus ſupernaturaliter) ablatus, vnà ſecum penetrabilitatis ſuæ impedimentum tollit: abſque vllo ſucceſſuri Vacui periculo. *Et dixit, qui ſedebat in throno: Ecce noua facio omnia.*

Matth. 13.

Apoc. 12.

CAP. 15.

Cœlum figuratum.

Coelum eſt figuratum ſphæricè; ſic ipsâ Dei manu tornatum, eiuſdemque palmo menſuratum, atque terræ, centro ſuo, ęqualiſſimè circumuolutum: tum propter circularem Siderum motum, & quorumdam æqualem diſtantiam à quacumque terræ plaga, ſiue Orientali, ſiue Occidentali, ſiuę Boreali, ſiue Auſtrali: tum quia corpori perfectiſſimo figura debebatur perfectiſſima, capaciſſimo capaciſſima, ſimpliciſſimo ſimpliciſſima: *Dixit autē Deus: Fiant luminaria in Firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos: vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.*

Cœlum figuratum.

Gen. 1.

Cui tamen haud obſtat illa multiplex ſiue Circulorum, ſiue Poſitionum varietas, partim ab ingenioſis Aſtronomis, partim à ſuperſtitioſis Aſtrologis excogitata: ſecundùm quam,

aliud Cœlum dicitur Rectū, aliud Obliquum, aliud Parallelum; aliud Auſtrale, aliud Boreale, aliud Occidentale, aliud Orientale, aliud Solare, aliud Lunare, Saturnianum, Iouiale, &c. Aliud trigonum, aliud hexagonum, aliud rotundum, aliud quadratum: & ſi quæ alia ſunt diuerſarum appellationum diſcrimina, à vario
Pſal. 18. Siderum, vel ſitu, vel motu ſumpta. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.*

CAP. 16.

Cœlum pellucidum.

Cœlum pellucidum. COelum eſt pellucidum, hoc eſt, lumini, rerumque formis, atque coloribus peruium: perfectiſſimè inter omnia corpora purè naturalia: haud tamen omni deſtitutum opacitate: imò etiam ſuis natiuis eſt infectum coloribus: non quidem ex aliqua miſcibilium contagione oriundis, ſed longè purioribus, ac lumini ipſi familiaribus: quales cæleſti ſimplicitati haud magis repugnant, quàm ipſa opacitas, vnde emanat: illos oculi noſtri, adhuc humiles, (ſecus olim ſublimes) iudicant eſſe merè ceruleos: quippe ſic apparentes, tum propter diſtantiæ profunditatem, tum ob vaporem
Gen. 15. aqueum intermedium. Vnde etiam *Dominus eduxit Abram foras, & ait illi: Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes.* Quemadmodū profundę aquæ

aquæ,& diſtantes ſiluæ,nobis videntur ceruleę eſſe. Illud deniq; ita viſui noſtro eſt peruium, vt etiam immani tranſparentię interuallo non hebetet aciem. Mirum eſt,quòd ſemper nobis propinquius appareat circa verticem, quàm horizontem: vbi etiam terræ cohærere cernitur, vano oculorum ludibrio.

Elias autem aſcendit in verticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua,& dixit ad puerum ſuum: Aſcende,& proſpice contra mare. Qui cùm aſcendiſſet, & contemplatus eſſet, ait: Non eſt quidquam. Et rurſum ait illi: Reuertere ſeptem vicibus.In ſeptima autem vice, Ecce nubecula paruula, quaſi veſtigium hominis, aſcendebat de mari. 3.Reg. 18.

CAP. 17.

Cœlum illuminatum.

COelum eſt illuminatum lumine proprio modicè, alieno largiſſimè: nempe ex tot Sideribus, ceu lucidiſſimis gemmis,diffuſo: *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt praeeſſet diei: & luminare minus, vt praeeſſet nocti: & ſtellas. Et poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram,& præeſſent diei, ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras.* Cœlum illuminatum. Gen. 1.

Cuius amœnitate raptus quondam Seneca, in has, etiam Chriſtiano pectore dignas, erupit voces, l. 1. quæſtion. natural. *Quàm iuuat*

inter ſidera ipſa vagantem, diuitum pauimenta ridere, & totam cum auro ſuo terrã: non illud tantùm dico, quod egeſſit, & ſignandum moneta dedit; ſed & illud, quod in occulto ſeruat, poſterorum auaritia: nec poteſt antè contemnere porticus, & lacunaria, ebore, auroque fulgentia, & tonſiles ſiluas, & deriuata in domos flumina, quàm circumeat Cœlum, & terrarum Orbem supernè deſpiciens, anguſtum, & magna ex parte, opertũ mari: etiam ea parte, qua extat, latè ſqualidũ, & aduſtum, aut rigentem. ſibi ipſi dicat: hoc eſt punctum, quod inter tot Gentes ferro, & igne diuiditur. O quàm ridiculi ſunt mortalium termini! Punctum ſanè eſt illud, in quo nauigamus, in quo bellamus, in quo regna diſponimus.

Haud aliud etiam ille recentior oyranoſcopos, dicere voluit, cùm dixit: *Heu quàm ſordet terra, cùm Cœlum aſpicio! Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt: vnde etiam Saluatorem expectamus, Dominum noſtrum, Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Philip. 3

CAP. 18.

Cœlum actiuum.

Cœlum actiuũ.

COelum eſt actiuum, tam in ſe, quàm extra ſe: præſertim in hęc ſublunaria corpora, producenda, roboranda, tranſmutanda: per lucem, & alia occulta qualitatum defluuia: quæ

paſſim

paſſim influxus vocamus: eâ quidem actionis acrimoniâ, vt etiam terræ adyta rimetur, & inibi aurum, & argentum, & alios regiæ Gazæ lapides, & metalla producat. Hebetiores tamen eius vires ſunt, quàm vt intellectum, voluntatemque hominis directo molimine perfringere poſſit. *An non licet mihi quod volo facere?* Indirecto tamen aſſultu hinc noſtram libertatem nonnumquam ad ancillantia ſenſuum cōmercia proclinari, etiam in Chriſtian Philoſophia tolerari poteſt. *Dico auem: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur: vt non quæcumq; vultis, illa faciatis.* Matth. 20. Gal. 5.

Sicut & ipſi iudiciarij Aſtrologi, quamdiu ex horoſcopo ſic limitato diuinant; ſecus riſum & ſibilum merentur, dignum tali vaticinio plauſum. *Facto veſpere dicitis: Serenum erit; rubicundũ eſt enim cœlum. Et manè; Hodie tempeſtas, rutilat enm triſte cœlum. Faciem ergo cœli diiudicare noſtis; ſigna autẽ temporum non poteſtis ſcire?* Matth. 16.

Hoc ferè indubitatum eſt, ceſſante Cœli influxu, etiam animaſticę generationis periodum ceſſaturam: *In reſurrectione enim, neque nubent, neq; nubentur: ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* Matth. 22.

Vigeret tàmen adhuc apud nos ſpecierum intentionalium productio, arderet ignis; pugnaret in Amalecitas nouos nouus Ioſue; ingeniorum mira ſurgeret varietas; aurum, & alia id genus,

Exod.17 genus, vix creſcerent, *Fecit Ioſue, vt locutus erat Moyſes, & pugnauit contra Amalec: Moyſes autem, & Aaron, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis. Cùmque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem paululùm remiſiſſet, ſuperabat Amalec. Fugauitque Ioſue Amalec, & populum eius, in ore gladij.*

CAP. 19.

Cœlum paſſiuum.

Cœlum paſſiuũ. COelum eſt paſſiuũ, & ſuis etiam obnoxium mutationibus: perfectiuis naturaliter, præternaturaliter etiam defectiuis: tum accidentalibus, tùm ſubſtantialibus: abſque vllo tamen, ſiue leuitatis, ſiue grauitatis veſtigio: Fatale eſt, vniuerſim exitio duplici.

1. Aqueo, ſiue cataclyſmo, quo iam olim Orbis ſublunaris factus eſt naufragus: *Anno ſexcenteſimo vitæ Noë, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli apertæ ſunt: & facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Gen.7.

2. Igneo, ſiue Ecpyroſi: quâ deinceps etiam ſuperlunaris fiet buſtum: ſcilicet per ignem illum terribilem, qui, prȩter ſupremum felicitatis domicilium, omnia alia, (ſupera, infera, medioxuma) inflammabit, & in ſuas primȩuas origines eliquabit: res generationi dumtaxat deſtinatas

deſtinatas omnio incinerabit: ceteras, vel lumine, vel robore perficiet, ac ſecuturę quieti, ſecundarieq́ue Beatorum oblectationi attemperabit.

Dominus regnauit, exultet terra: lætentur inſulæ multæ. Nubes, & caligo in circuitu eius: iuſtitia, & iudicium, correctio ſedis eius. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Pſal. 96.

CAP. 20.

Cœlum cognoſcibile.

Coelum eſt cognoſcibile, 1. Hiſtoricè, potiſſimum per ſacrarum Literarum oracula, à ſuo Conditore prodita: *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem. & ſint in ſigna & tempora & dies & annos: vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram.* Nec non etiam per accuratiores Aſtronomorum obſeruationes, poſteritati ſcriptas. Cœlum cognoſcibile. Gen. 1.

2. Phyſicè, per cauſas naturales, ex ſenſu, ſitu, motu petitas: *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes.* Gen. 15.

3. Opticè, per triplicē Ichnographicam, Orthographicam, Scenographicam proiecturam, genuinę vranoſcopię cōpendioſam magiſtram.

4. Geometricè, per multiplices punctorum, linearum, ſuperficierum, angulorum, laterumquè

què hypotheſes, & inde conſequentes demonſtrationes.

5. Arithmeticè, per varios ſinuum logiſmos, quibus (ceu ſchalis, ceu alis) facillimè, quouis & tempore, & loco, in celſiſſima illa ſpatia aſcenditur, & vniuerſa Cœli facies in pauculos
Gen. 28. numeros cogitur. *Iacob vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum.*

6. Mechanicè, per artificioſa inſtrumenta, hoc eſt, radios menſorios, Dioptras, Quadrantes, Sextantes, Aorolabia, Aſtrolabia, Sphęras integras, ad nutum mobiles: an etiam ſponte, & perpetuo?

Tales certè nuper nouus Dędalus, Cornelius Drobelius, auſus eſt polliceri, exemplo hactenus inaudito, & necdum credito: qui (vt videre eſt in Theſauro Practico literatiſſimi viri, Chriſtophori Boſoldi) ad Magnum Britannię Regem ita ſcripſit: *Vt certum faciam, me cognitam habere primi Mobilis cauſam, poſſum conſtruere globum perpetuò mobilem, & ſecundùm curſum Ætheris ſingulis vigintiquattuor horis ſemel circumrotabilem, aut toties, quoties mihi viſum fuerit; ita vt vel mille annis ne ſemel fallat: oſtendentem nobis annos, menſes, dies, horas, curſum Solis, Lunæ, omnium Planetarum, & ſtellarum; quarum motus hominibus notus eſt.* Mira ſanè machinatio, & vix teſti oculato credenda.

Ceterùm Magica cœli cognitio, & repræ-

ſentatio per occultos characteres,ac ſympatheticas imaginum analogias, vaniſſima eſt,vt ſentina putidiſſimarum ſuperſtitionum, iam olim à Pariſienſi Schola, articulo 21. damnata. Neque pro figurarum harum inuentore Nectabanus aliquis habendus; ſed ipſemet malus Genius, qui talibus curioſitatis illicibus occultum cum hoſte pactum affectat, vt hominem,ſi Cœlo nimium tribuat, Cœlo exuat.

Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè: & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum,& dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Ieſus: Vade, Satana. Scriptum eſt enim: Dominũ Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Matth. 4 Deut. 6.

CAP. 21.

Sidera, illuminatiſſima Mundi lumina.

SIdera, illi ſcintillantes Cœlorum oculi, & perpetua mundi lumina, tot miraculis,quot radijs plena: ex ipſis Cœlis (à quibus realiter diſtinguuntur) deducta & quarto originum die in hanc viſibilem vniuerſi ſcenā producta. Sidera.

Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctē, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos: vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Gen. 1.

1. Vt terram alternâ diei,noctiſque viciſſitudine obambularent.

2. Vt

2. Vt eamdem per intermedia corpora illuminarent, eiuſque pulchritudinem nobis aſpicuam facerent.

3. Vt rebus cunctis agendi vires irradiarent.

4. Vt temporum vices, Vere, Æſtate, Autumno, Hieme, variarent.

5. Vt forent publica mundi horologia, quorum anomaliâ menſurarentur (& naturaliter, & ciuiliter) Horæ, Dies, Hebdomadæ, menſes, Anni, ſæcula integra.

6. Vt ſic ſemper exiſterent indelebiles perpetuæ Chronologiæ characteres, & quaſi communes rerum incipientium, deſinentiumque

Ibid. indices. *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt praeſſet diei, & luminare minus, vt praeſſet nocti: & ſtellas.*

Vniuerſim diuidũtur in Fixa, & Vaga: quarum aliqua luce, aliqua Opacitate præualent. Alia ſublunaribus proſunt, alia obſunt: ſingula varia, vel viſione, vel menſuratione, vel motione differunt.

Ibid. *Et poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram, & praeeſſent diei, ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras.*

CAP. 22.

Sidera fixa.

Sidera fixa. SIdera fixa, ſiue ſtato ordine, ſitu, ac diſtantiâ pariter procedentia, ſunt partim numerabilia, partim innumerabilia. Illorũ olim non niſi

mille

mille vigintiduo cognita; hodiè longè plura, partim Tubo optico, partim libero oculo circa vtrumque Polum Arcticum, & Antarcticum detecta. Horum infinita propemodum congeries: quę ob exiguam ſuam apparentiam, diſtinctiùs conſpici nequeunt, & propter multitudinem, quaſi confuſam, & obtuſam, candoríque ſimillimam, lucem diffundunt: atque id eò Galaxię, ſiue vię lacteę & nomen, & ſitum ſunt ſortita: nec ferè aliter diſtingui ſolent: *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes.* Gen.15.

Numerata, in quadraginta octo Aſteriſcos, ſiue conſtellatas imagines, ab aliquibus Aſtronomis ſunt diſtributa. Horum duodecim ſunt in ipſo zodiaco, ſiue imaginaria illa orbita ſolari, zodiaco parallela: nempe 1. Aries. 2. Taurus. 3. Gemini. 4 Cancer. 5. Leo. 6. Virgo. 7. Libra. 8. Scorpius. 9. Sagittarius. 10. Caper. 11. Amphora. 12. Piſces.

Cetera extra zodiacum morantur: ſuntque partim Borealia, ſiue Septentrionalibus populis conſpicua: partim Auſtralia, ſiue Meridionalibus terris orientia.

Borealia ſunt viginti vnum, Aſteriſmis diſpuncta. Vti ſunt, 1. Vrſa maior. 2. Vrſa minor. 3. Draco. 4. Cepheus. 5. Bootes. 6. Corona Borealis. 7. Hercules. 8. Lyra. 9. Cygnus. 10. Caſſiopœa. 11. Perſeus. 12. Heniochus, ſiue Auriga. 13. Ophiuchus, ſiue Serpentarius. 14. Serpens. 15. Sagitta. 16. Aquila. 17. Delphinus. 18. Equus

 minor,

minor,ſiue ſectio equi.19. Pegaſus,ſiue Equus volans.20. Antromeda. 21.Triangulus.

Auſtralia ab antiquis obſeruata ſunt quindecim. 1. Cetus. 2. Orion. 3. Eridanus.4. Lepus. 5. Canis maior. 6. Canis minor. 7. Argo, ſiue Nauis.8. Centaurus.9. Crater.10.Coruus. 11.Hydra. 12.Lepus. 13. Ara. 14. Corona Auſtrina. 15. Piſcis notius.

His, recentiorum nautarum obſeruationibus, addi ſolent duodecim alij Scematiſmi: 1.Pauo. 2. Doucan. 3. Grus. 4. Phœnix. 5. Dorado. 6. Piſcis volans. 7. Hidrus. 8. Chamæleon.9.Apis. 10. Auis Indica. 11. Triangulum auſtrale. 12. Indus.

Iob.9. *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Auſtri. Qui facit magna, & incomprehenſibilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus.*

CAP. 23.

Sidera vaga.

Sidera vaga. SIdera vaga, à vario congreſſu, digreſſuque ſic dicta. Principalia non niſi ſeptem ſunt: 1. Saturnus. 2.Iupiter. 3. Mars. 4.Sol. 5.Mercurius. 6.Venus. 7.Luna. Sic olim à ſuperſtitioſis Chaldęis,& numerata,& nominata ſunt: quæ etiamnum hodiè ſingulis hebdomadę noſtræ ferijs ſua faciunt communia nomina, an etiam Dominia?

Nonnulla alijs minoribus Stellulis ſunt

ſtipata, ſeu comitibus. Inter omnia medius Sol fertur ampliſſimâ magnitudine, ac poteſtate, nec temporum modò, terrarumque, ſed & Siderum Rector. Tria ſupra Solem errant: tria infra vagantur, vario acceſſu, & receſſu.

Inter hæc nouiſſimum Luna, terris familiariſſimum, & in tenebrarum remedium, à natura repertum: multiformi ſuâ ambage torquet ingenia contemplantium, & proximum ignorari maximè ſidus indignantium: creſcens ſemper, aut ſeneſcens, & modò curuata in cornua, modo æquâ portione diuiſa in orbem: maculoſa, eademque ſubitò prænitens, immenſa orbe pleno, ac repentè nulla: aliàs pernox, aliàs ſera: & parte diei Solis lucem adiuuans: deficiens, & in defectu tamen conſpicua: quæ menſis exitu latet, & laborare creditur: iam verò humilis, & excelſa: & ne id vno modo; ſed aliàs admota Cœlo, aliàs contigua montibus: nunc in Aquilonem elata, nunc in Auſtros deiecta: hoc ſolùm in illa perpetuum, ſi creſcit, auerſis à Solé cornibus ortum ſpectat; ſi minuitur, Occaſum. *Fecitq́, Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt praeeſſet diei: & luminare minus, vt praeeſſet nocti: & ſtellas. Et poſuit eas in firmamento cœli, vt lucerent ſuper terram, & praeeſſent diei, ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras.* Gen. 1.

CAP. 24.

Sidera lucida.

Sidera lucida. SIdera lucida: quædam magis, quædam minùs: perfectiſſimè Sol, ille inexhauſtus luminis creati fons: in immenſa Cœli ſpatia, Elementa ſingula, ipſa etiam terræ viſcera largiſſimè diffluus: & vbique manifeſtus, ſuâ non tantùm luce, ſed etiam vmbrâ, ceu indiuiduâ lucis

Eccle. 1. ſubſequâ. *Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur: ibiq́; renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.*

Poſſunt autem in Sole hæc ſpectari miracula. 1. Lux ipſa, ſiue fulgida illa qualitas, omni

Apoc. 1. corpori lucido congenita, & intrinſeca: *Et facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua.*

2. Lumen, ſiue lux extrinſeca, ab illa primaria, ſiue intrinſeca luce productum: vel tranſparenter per medium diaphanum: vel terminanter, in opaco obſtaculo: ſoboles genetrici

Mar. vlt. ſuę ſimillima, eidemq́ue ſemper coæua: *Et valdè mane vnâ ſabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam Sole.*

Ita tamen, vt vniuerſum lumen triplex ſit. Primum directum, quod per medium vniformiter diaphanum. Secundum refractum, quod per medium difformiter diaphanum. Tertium reflexum, quod ex opaco obſtaculo oritur, & quaſi reflectitur. *Et vt refulſit Sol in clypeos au-*

6. *reos*

reos, & areos, reſplenduerunt montes ab eis, & reſplenduerunt ſicut lampades ignis.

3. Radioſa (cuiuſlibet luminis) profuſio, ex infinitis radijs, ſeu lineis luminoſis collectâ, in formam pyramidis, vel directę, vel refractę, vel reflexæ: ſecundùm triplicem conditionem luminis, quod diffunditur: ita vt ſingulæ, & baſi, vnde oriuntur, & vertice, quo terminantur, inter ſe differant: ſingulis quoque ineſt vnus primarius radius, quem Optici viſorium appellant, à viſione per illum efficaciſſimè ſtimulata. *Et tranſibit vita noſtra tamquam veſtigium nubis & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radijs Solis, & à calore illius aggrauata.* Sap. 2.

4. Vmbra, quæ lumen inter ac tenebras mediam naturam adepta, totum ſuum eſſe (ſeu rectiùs non eſſe) aduerſo, ſed per opacum corpus excluſo, lumini debet: & dum eidem ſuâ magnitudine, multitudine, intenſione, remiſſione, ſitu, motu, quieti, commenſuratur, mira pingit curioſitatis miracula: *Cùm vidiſſet populū Gaal, dixit ad Zebul: Ecce de montibus multitudo deſcendit. Cui ille reſpondit: Vmbras montium vides, quaſi capita hominum, & hoc errore deciperis.* Iud. 9.

Qualia etiam ſunt illa Horologia ſcioterica, ingenioſa ſanè vmbrarum ſpectacula, humano vſui accommodatiſſima. *Inuocauit itaq; Iſaias propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat in Horologio Achazi retrorſum decem gradibus.* 4. Reg. 20.

CAP. 25.

Sidera obſcura.

Sidera obſcura.

SIdera obſcura ſunt: aliqua multùm, aliqua parum: nec ipſe Sol, etiam cùm ſplendet maximè, ſuis caret maculis: quas aiũt eſſe paruas (reſpectiuè) Stellulas, perpetuas Solis comites: naturâ ſuâ rotundas, & lucidas: ſed per variam fortioris Sideris irradiationem, vagumque congreſsũ, variè refractas, obfuſcataſque: atque hinc viciſſim Solem diuerſimodè eclipſari, & quodammodo maculari conſpicimus per Tubum opticum.

Illa verò grandiora Siderum, aut velamina, aut deliquia, etiam libero oculo fiunt aſpicua: in Sole quidem, cùm terrę eſt proximus: in Luna autem, cùm terræ remotiſſima, Soli eſt viciniſſima: quæ vniuerſim ſemper eò minùs lucet, quò minùs ab ipſo lucis fonte abeſt. Vt olim (miraculoſè tamen) *erat ferè horâ ſextâ, & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram vſq; ad horam nonam. Et obſcuratus eſt Sol.* (Luc. 23.)

Eamdem obſcuritatis contagionem etiam alia Sidera patiuntur, ex ſimili Solis acceſſu, receſſuque: ſed minùs principaliter. *Et erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis,* (miraculosè) *& in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.* (Luc. 21.)

CAP.

CAP. 26.
Sidera amica.

SIdera ſunt amica;metaphorico(non morali, ſeu animaſtico)fauore,Orbi toti: præcipuè Sol: *Hic* (vt Plinius ait) *lucem rebus miniſtrat, aufertq́, tenebras:hic reliqua Sidera(* malignè fulgentia) *occultat: hic vices temporum, annumq́ue ſemper renaſcentem, ex vſu naturæ temperat: hic Cœli triſtitiam diſcutit, atq; etiam humani nubila animi ſerenat: hic ſuum lumen ceteris quoq́, Sideribus(* ſalubriùs micaturis) *fœnerat, vbicumque clarus, eximius*, omnia intuens, omnia viuificans, & locupletans. Sidera amica.

Fecitq́ue Deus duo luminaria magna: luminare maius,vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti: & ſtellas. Gen. 1.

Sic in reliquis quoque Sideribus *propria eſt quibuſq́, vis, & ad ſuam cuique naturam fertilis: alia ſunt in liquorem ſoluti humoris fœcunda; alia concreti in pruinas; aut coacti in niues, aut glaceati in grandines: alia flatus, alia teporis, alia vaporis, alia roris, alia rigoris.* Et vniuerſim ferè ſingula ſuas cum motu variant vires.

Et poſuit eas in firmamento Cœli,vt lucerent ſuper terram,& præeſſent diei,ac nocti,& diuiderent lucem,ac tenebras. Ibid.

Illud vanum Aſtrologiæ commentum eſſe videtur, cùm quidam non tantùm ſingulis humani corporis membris,ſed etiam ætatibus ſingulos

gulos affingunt beneuolos Planetas: Verbi gratiâ, Infantiæ Lunam, Pueritiæ Mercurium, Adoleſcentiæ Venerem, Iuuentuti Solem, Virilitati Martem, Senectuti primæ Iouem, Vltimę Saturnum: analogia nimis ſuperſtitioſè partita. *Ineptas autem, & aniles fabulas deuita: exerce autem teipſum ad pietatem.*

1. Tim. 4.

CAP. 27.

Sidera inimica.

Sidera inimica.

SIdera ſunt inimica: præſertim illa crinita, & futuri mali prenuncia, Cometæ: quandoque in ipſis Cœlis circumeuntes, ibidem vel nouâ origine producti, vel è plurium Siderum conſtellatione conflati: magnis capitibus plerumq; ominoſi, Orbi toti contagioſi.

2. Mach. 5.

Contigit autem per vniuerſam Ieroſolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta per aëra equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis, quaſi cohortes, armatos, & curſus equorum per ordines digeſtos, & congreßiones fieri cominùs, & ſcutorum motus, & galeatorum multitudinem gladijs diſtrictis, & telorum iactus, & aureorum armorum ſplendorem, omniſque generis loricarum. Quapropter omnes rogabant in bonū monſtra conuerti.

Manifeſtum quoque eſt, etiam in coniunctione menſtrua Lunæ, morbos recrudeſcere, ægrotantium corpora deteriùs affici, noceręq; tunc ſumpta pharmaca: peſtilentiam quoque

ſub

ſub eodem Sidere graſſari ſæuiùs. *Et obtulerunt* Matth. 4
ei omnes male habentes, varijs languoribus, & tormentis comprehenſos: & qui dæmonia habebant, & lunaticos & paralyticos, & curauit eos.

Non tamen eſt tanta Aſtris ſocietas nobiſcum, vt (quemadmodum nonnulli delirant) ſingula ſingulis ſint attributa mortalibus, magna diuitibus, minora pauperibus, ęrumnoſis obſcura, ac pro ſorte cuiuſque lucentia: & cum ſuo quoque homine orta, cum eodem demum occumbentia. Hoc longè abſurdius, ipſum etiam humanum Arbitrium ijſdem obnoxium fieri, & ſic ſubſequum trahi, prout æquum, iniquumque Sidus affulſerit. *Deus ab initio conſti-* Eccli. 15
tuit hominem & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata, & præcepta ſua: Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam.

CAP. 28.

Sidera viſibilia.

Sidera ſunt viſibilia: directè, ſola Verticalia: Sidera viſibilia.
refractè cetera: reflexè omnia ſenſibilis magnitudinis: in quouis corpore, vel planè, vel conuexè, vel concauè ſpeculari, ſufficienter applicato: primam Viſionem appellant Opticam: ſecundam, Dioptricam: tertiam Catoptricam: ſingulis ſua inſunt miracula.

Vt cùm per Opticam, ſiue directam viſionem Sidera apparēt ſemper proprio loco, ſemper propinquiſſimè, ſemper (ceteris paribus) minora, quàm alio modo viſa.

Per Dioptricam, ſiue refractam, ſemper alieno loco, ſemper maiora, quò magis ad horizontem deſcendunt, & in eodem ipſi terræ contigua: ibidem etiam inter ſe magis diſtantia, quàm verſùs Zenith, ſiue punctum verticale.

Per Catoptricam, ſiue reflexam, prodeunt infinita Siderum ludibria, tot ſcilicet variata ſpeculis, naturalibus, artificialibus, planis, gibboſis, concauis, conuexis, monogonis, polygonis: ita tamen vt planis ferè æqualiter repræſententur, conuexis amplientur, concauis contrahantur, polygonis multiplicentur Stellę. Singulæ in frequentiſſima luminum choragia: eo modo, quo per ſimilem flexangulam radiationem cataphractus eques terrificam armatorum aciem exhibet, nummuſque aureus congeſtum auri aceruum oſtendit, capidorũ oblectamentum.

Deut. 4. *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem, in die qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne fortè eleuatis oculis ad cælum, videas Solem, & Lunam, & omnia aſtra cœli; & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cœlo ſunt.*

CAP.

CAP. 29.

Sidera menſurabilia.

SIdera ſunt menſurabilia tot modis, quot Cœlum, in quo voluuntur: præcipuè per Canones Geometricos ex Trigometria,& Cyclometria computatos: ſiue per ſinuales Trianguli ſphærici logiſmos: ex quorum varia analogia Sidera fixa ab Aſtronomis in ſex magnitudinum claſſes diſtribuuntur. Sidera menſurabilia.

Primæ magnitudinis aiunt eſſe ea, quæ terram centies ſepties cum vndecim ſexageſimis quartis excedunt. Secundę, quæ octuagies ſepties. Tertiæ, quæ ſeptuagies bis cum triente. Quartæ, quæ quinquageſies bis cum ſemiſſe. Quintæ, quæ tricies ſemel. Sextæ, quæ plus decies octies.

Vaga partim excedunt, partim exceduntur. Excedunt, Saturnus nonagies ſemel. Iupiter nonagies quinquies, & vnâ ſemiſſe. Mars ſemel, cum vna tertia. Sol centies quadrageſies.

Exceduntur, Venus nouies octies, aut tricies ſepties. Mercurius vegeſies bis. Luna quadrageſies ter, minus octaua parte. *Altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum abyſſi, quis dimenſus eſt.* Eccli. 1.

Ex hac portentoſa, pręcipuè Solis, magnitudine, quidam Mathematicus, in ſuo Sole illuſtrato, deducit ſequentia Corrollaria, etiam credulæ curioſitati paradoxa.

1. Solis

1. Solis diametrum in ſe continere milliaria Germanica 9782. quorum quodlibet 4000. paſſibus conſtet.

2. Ambitum eius, milliaria 30743.

3. Superficiem, milliaria 300718046.

4. Profunditatem milliaria 490270731504.

5. Solem Apogæum, ſiuè maximè æſtiuum à terra diſtare 1017322. hoc eſt, millies mille decies ſepties mille trecentis viginti duobus milliaribus.

6. Perigæum, ſiuè maximè Brumalē, 946917. milliaribus.

7. Cœlipetam, quotidiano itinere 8. milliaria ſurſum ſcandentem, peruenturum ad Solem Apogæum annis 324. hebdomadibus. 14. diebus 6.

8 Lapidem molarem, quauis hora 200. milliaria deſcendentem, terræ illapſurum, ex Sole Apogæo poſt horas 5086. ſiue poſt hebdomadas triginta, diem vnum, horas viginti duas: ex Sole Perigæo, poſt horas 4734. ſiue poſt hebdomadas 28. diem vnum, horas ſex.

9. Solem Perigæum, ſiue hiemalem, nobis propinquiorem eſſe ſeptingentis millibus quadringentis quinque milliaribus Germanicis, quàm ſit Apogeus, ſiue Æſtiualis.

10. Solis periſphæriam à curſore, quotidiè 8. milliaria currente, non niſi diebus 3843. hoc eſt, annis decem, diebus 193. Diametrum non niſi diebus 1223. ſiue annis tribus, diebus centum

tum viginti nouem, emenſum iri.

Cuncta res difficiles: non poteſt eas homo explicare ſermone. Eccle. 1.

CAP. 30.

Sidera gyrabilia.

Sidera gyrabilia ſunt: omnia: à Principio, probabiliter intrinſeco; probabiliter extrinſeco, efficaciſſimè impellente, ſcitiſſimè dirigente, Sidera gyrabilia.

1. Motu circulari.

2. Multiplici imaginatiuè, aliquando inſtar trepidationis, aliquando inſtar librationis; aliàs more retrogreſſionis, aliàs aliter.

3. Vnico entitatiuè.

4. Spirali, ſiue non in idem, vnde cœpit, punctum: & ſic ſemper variabili, propter ſuam obliquationē, tot putatitijs motibus obnoxiam.

5. Celerrimo motu, atque eò celeriore, quò ampliore verſatur periodo. Ita Sol (inter ſuos Cœli-vagos concurſores nec tardiſſimus, nec velociſſimus) vno die currit ſexies mille centies quinquagies quinquies mille nongenta triginta tria milliaria: vnâ horâ 256497. milliaria: vno minuto quater mille, ducenta ſeptuaginta quinque: vno ſecundo (quo claudo, aperioque oculos) ſeptuaginta vnum milliare. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur: ibique renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem* Eccle. 1.

lonem:luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus; & in circulos ſuos reuertitur.

6. Regulatiſſimo motu,& hactenus nulla vmquam(naturaliter variato)anomalia:reali,ſecus imaginaria:quali ſcilicet Sol ſæpiſſimè, & ferè quotidiè bis ſtare,alias regredi, nonnumquam etiam retardari cenſetur:ſupernaturaliter eumdem verò aliquoties ſteriſſe, retrò, & tardiùs iuiſſe,variæ Ephemerides clamant;haud tamen reclamaturæ calculo Aſtronomico, etiam in futura ſæcula continuato:

Ioſu.10. *Tunc locutus eſt Ioſue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitq́; coram eis:Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntq́; Sol,& Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Stetit itaque Sol in medio cœli; & nō feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei.Non fuit antea,nec poſtea tam longa dies,obediente Domino voci hominis, &*

4.Reg. 20. *pugnante pro Iſrael.* Alibi: *Innocauit itaq́; Iſaias propheta Dominum,& reduxit vmbram per lineas quibus iam deſcenderet in horologio Achaz;retrorſum decem gradibus.*

Nempe ordinaria dumtaxat (ſecus illa extraordinaria, & qua talia, imaginarijs parianda) computanti tempora.

7. Perpetuo motu, ſiue continuò duraturo, vſque ad extremū iudicandi Orbis periodam: præciſè in vſum humanæ & Oeconomiæ, & Chronologiæ: quarum illa vitam agendam; hæc

hæc vitam actam ſpectat: vtraque potiſſimùm ex regulari Solis, ac Lunæ circuitu, omnia moderante, omnia menſurante: tot ſæculis, præteritis, futuris: *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur: & tunc parebit ſignum Filij hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & maieſtate.* Matth. 24.

CAP. 31.

Elementa, prima ſurgentis Mundi triſtega, partibus quinis Elementa generatim.

Elementa, vt nonnullis placet, quaſi alimenta corporis mixti: Elementa in genere dicuntur omnia illa, ex quibus, cùm inſint, aliquid fit: quæ notio non ſolum cauſas rerum intrinſecas, ſed alias quoque partes integrantes, & componentes complectitur. Sic materia, & forma, Elementa compoſiti Phyſici: Cœlum, & terra Mundi: *In principio creauit Deus cœlum, & terram,* Elementa. Gen. 1.

Prima cuiuſque rei principia, tum naturalia, tum artificialia, prima quoque Elementa appellari poſſunt, & ſolent: *Ita & nos cùm eſſemus paruuli, ſub elementis mundi eramus ſeruientes.* In ſpecie, Elementa ſunt corpora naturalia ſimplicia, in quæ cetera reſoluuntur. Simplicia Gal. 4.

dicuntur

dicuntur, prout ſimplex opponitur mixto, & alijs: quæ ſimplicitas neque phyſicam ex materia, & forma, neque metaphyſicã ex genere, & differentia compoſitionem tollit: imò ſingula in ſua compoſitione adeò ſupponunt materiam, vt abſque ea nullam vel generationem vel corruptionem ſubſtantialem exercerent, paterenturque perpetuam ſui & creationem, & annihilationem. Sunt denique vltima naturæ ſublunaris diuerticula: in quæ corpora mixta; poſt variam pugnam, & cladem redeunt: omni

Gen. 3. alio formarum contubernio pulſo. *Adæ verò dixit (Deus:) In ſudore vultus tui veſcêris pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuertêris.*

CAP. 32.

Elementa quaterna.

Elementa quaterna. ELementa ſunt quaterna. 1. Ignis. 2 Aër. 3. Aqua. 4. Terra. Nec plura, nec pauciora: ſingula ſunt finitæ magnitudinis, & figuræ orbicularis: quod manifeſtum eſt ex ipſa Mundi Syntaxi.

Numerus colligitur, 1. ex quadruplici primarum qualitatum combinatione, Caloris, & Siccitatis in Igne: Caloris, & Humiditatis in Aëre: Humiditatis, & Frigoris in Aqua: Frigoris, & Siccitatis in terra.

2. Ex quattuor qualitatum motricum diuerſitate:

ſitate: ex ſumma leuitate Ignis: ex ſumma grauitate Terra: ex media leuitate Aër: ex media grauitate Aqua.

2. Ex quattuor motuum rectorum inæqualitate: quorum duo Ignis, & Aëris, tendunt à medio ſurſum: alij duo Terrę, & Aquę deorſum ad medium: ſinguli inæqualiter. *Ipſe enim (Deus) dedit mihi horum, quæ ſunt, ſcientiam veram: vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum.* Sap.7.

Poſſet Deus abſolutè creare plura Elementa, ſpecie diſtincta: quæ tamen cum iſtis genere conuenirent: Et licet non poſſint eſſe plures genere motus, Recti, & ſimplices; neque maior ordo corporum ſimplicium, quàm de facto ſit; poſſent tamen plura corpora ſpecie diſtincta eumdem genere Motum participare, & proportionatum ſuæ naturæ locum in Vniuerſo occupare; & nihilominùs ſecundùm alias virtutes, & qualitates inter ſe ita differre, vt eſſentiale diſcrimen arguant: prout de facto in mixtis animatis, & inanimatis contingit. *Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.* Matth. 19.

CAP. 33.

Elementa ornata.

Elementa ſunt ornata, ſeu veſtita qualitatibus, tum alteratricibus, tum motricibus: his propter motum localem; illis ob perpetuam Elementa ornata.

antimachiam, & inde conſequentem ſingulorum mixtionem.

Motrices vocari ſolent qualitates ſecundæ, ex primis ortæ: ſuntque Grauitas, & Leuitas: vtraque, vel ſumma, vel media. Alteratrices dicuntur, partim primæ, vt Calor, Frigus, Humiditas, Siccitas: partim ſæcundæ, quæ nempe ex allato primarum quaternario oriuntur.

Ambas à ſenſibus, quibus percipi poſſunt, generatim Senſibiles appellamus: ſicut & ſpeciatim ſingulas à ſpecifico ſenſu, v. g. à viſu viſibiles, ab auditu audibiles, à guſtu guſtabiles, ab odoratu odorabiles, à tactu tangibiles.

Ex quibus aliquæ Elementis in ſtatu puro conueniunt: aliquę non niſi in impuro, & varijs mixtionibus violato: in vtroque illis competunt Lux, Perſpicuitas, Opacitas, Raritas, Denſitas: inter quas tamen ſola Lux eſt vera poſitiua qualitas: Perſpicuitas, & Opacitas ſunt ferè tantùm quædam capacitates, & incapacitates recipiendi, vel excludendi lumen, & ſpecies à ſubiecto, connotantes certam ſubiecti diſpoſitionem, vel indiſpoſitionem.

Raritas, & denſitas ſunt diuerſa qualitatum temperamenta, cauſantia diuerſos modos poſitionis, ſeu extenſionis localis, & eorum, quæ his annexa eſſe ſolent.

Ceterùm inter primas illas qualitates Calor, & Frigus vocantur qualitates actiuę: Humiditas, & Siccitas, paſſiuè: quòd hæ remiſſiùs, illæ verò

verò fortiùs agant.

Cunctis diebus terræ, ſementis, & meſſis, frigus Gen. 8.
& æſtus, æſtas & hiems, nox & dies non requieſcent.

CAP. 34.

Elementa variata.

ELementa ſunt variata, ſingula multiplici primarum qualitatum *Εὐξυγίᾳ*, ſiue combinatione, diuerſimodè commenſurata: ſed non niſi intra octonam graduum latitudinem: ita vt ſingulis vna in ſummo, alia in excellenti, reliquæ in remiſſo inſint gradu, maneantque inter ſe pacifica confœderatæ ſocietate. Quod ſi vna parumper inſoleſcat, & fœdus rumpat, mox ſingulę in conflictum mutuum concurrunt, vſque dum, vel in aliquod tertium abeant, vel ad natiuam redeant harmoniam. Elementa variata.

Ex quo etiam fit, vt aliqua ex Elementis dicantur Symbolica, alia Aſymbolica: illa in vna ſaltem qualitate prima ſecundùm excellentem gradum conueniunt, atque tranſmutantur in ſeſe mutuò, facillimè, celerrimè; numquam tamen in aliquod tertium immediatè: iſta in nulla (quoad excellentē gradum) conueniunt, & tranſmutantur in ſeſe tardiùs, difficiliùs; ſecus in aliquod tertium, etiam immediatâ tranſmutatione ſubeundum.

Diuerſitatis huius ratio petitur, partim ex eo, quòd pauciores qualitates produci, aut cor-

rumpi debeant in Symbolicis, quàm in Aſymbolicis: partim quod minor reſiſtētia ſit vnius contrariæ qualitatis in Symbolicis.

Oritur autem maior reſiſtendi vis, nō ſolum ex maiori denſitate vnius agentis, & raritate alterius, ſed etiam ex inæqualitate virtutis: propter vtriuſque qualitatis formalē coniunctionem in eodem ſubiecto, ita vt etiam diſparatæ qualitates ſe mutuò in reſiſtendo adiuuent.

2. Maccab. 1.

Cùm in Perſidem ducerentur patres noſtri, ſacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè abſconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & ſiccus, & in eo contutati ſunt eum, ita vt omnibus ignotus eſſet locus. Cùm autem præteriiſſent anni multi, & placuit Deo, vt mitteretur Nehemias à rege Perſidis: nepotes ſacerdotum illorum, qui abſconderant, miſit ad requirendum ignem: & ſicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, ſed aquam craſſam.

CAP. 35.

Elementa mobilia,

Elementa mobilia.

ELementa ſunt mobilia: Localiter in motu violento, per impulſum, ſiue vim motricem ab extrinſeco impreſſam, ad omnem loci differentiam: in motu naturali, per intrinſecas, ſiue ab intrinſeco principio fluentes, qualitates motrices, leuitatē, & grauitatem ad quadruplicem tantùm differentiam. 1. extremè

ſurſum

ſurſum. 2. extremè deorſum. 3. mediocriter ſurſum. 4. mediocriter deorſum: & quidem tantùm extra ſuam patriam: intra illam quietiſſima ſunt, & eximia ab omni motu actuali: non tamen ab actuali grauitatione, & leuitatione.

In motu naturali, leuia ſurſum, ſiue à centro; grauia deorſum, ſiue ad centrum: in violento, (vt etiam in motu Vacui) quælibet quolibet: vtrobique ſecundùm perpendicularẽ directionis, ſiue æquilibrij lineam, naturaliter mota, exactiſſimè; violenter compulſa, quantum fieri poteſt: vnde quotidiè mira emergunt ſpectacula, non tantùm in Elementis, ſed etiam in mixtis, leuiter, aut grauiter ad lineam directionis, ſiue æquilibrij motis.

1. Globus, plano liberè impoſitus, non quieſcet, donec venerit ad æquilibrium, ſiue ad id punctum plani, quo ſubiecta mundi ſphæra tangitur.

2. Conus inuerſus, puncto alicuius plani inſiſtens, non corruit, ſi centrum grauitatis illi puncto directè reſpondeat; à quo ſi vel minimum recedatur, cadit conus, grauiore parte præponderante.

3. Parietes ædificiorum, ad perpendiculum conſtructorum, quo ſunt altiores, eò ſunt à ſe remotiores, & tandem inſtar pyramidis inuerſæ concurrent, ſi verſus centrum vniuerſi magis, magiſque deſcenderent.

4. Pauimenta quoque, ad libellam conſtructa non ſunt plana, ſed ſphærica, contra vulgare oculorum iudicium.
5. Homines ſtantes, ſedentes, cubantes, variè extendunt, aut contrahunt corporis membra, vt lineâ directionis obſeruatâ faciliùs ſe erigant, & ne erecti corruant, ſi lineam directionis negligant.
6. Si eques ferocientē, & ſe erigentem equum magis, magiſque attrahat, corruet, equo vltra lineam directionis protracto.
7. Aues quoque inter volandum æquilibrium anterioris, & poſterioris partis in medio alarum conſtituūt: vnde longiore collo prędítę, etiam longiora crura acceperunt, quæ volando extendunt, vt colli pondus pedibus compenſetur.
Num. 11 *Ventus autem egrediens à Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, & demiſit in caſtra itinere, quantum vno die confici poteſt, ex omni parte caſtrorum per circuitum, volabantq; in aëre duobus cubitis altitudine ſuper terram.*
8. Arbores quoque, & quæuis plantæ firmiores, remotis impedimentis, perpendiculariter ſuccreſcunt è centro Vniuerſi: adeò natura co-
Sap. 11. git omnia eſſe *in numero, pondere, & menſura:* ſeu, vt Seneca loquitur: *partes ſuas velut in ponderibus conſtitutas examinat, ne portionum æquitate turbatâ Mundus præponderet.*
Ibid. *Quoniam tamquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelu-*

antelucani, quæ deſcendit in terram.

CAP. 36.

Elementa alterabilia.

ELementa ſunt alterabilia quoad qualitates primas,& ſecundas: contrarias & non contrarias, manifeſtas & occultas, tam in eadem, quàm in diuerſa parte ſubiecti; perfectiuè & deſtructiuè, poſitiuè & negatiuè, intenſiuè & remiſſiuè, directè & indirectè, reflexè & refractè:aliquando inſtantaneè, aliquando ſucceſſiuè: ſemper intra octo graduum latitudinem, naturaliter cuilibet Elemento commenſuratam: ſupernaturaliter immenſurabilem: eamdemque in ſingulis gradibus, tam introducendis,quàm expellendis, homogeneam, ſiue eiuſdem rationis,& perfectionis. Elementa alterabilia.

In qualitatibus contrarijs,nec aliunde impeditis,partialiter,& diſtinctè: in non contrarijs, nec aliunde impeditis, ſimul,& totaliter acquiſibilem,& amiſſibilem: non tantùm per maiores,aut minores alterantis qualitatis radicationes:ſed per illius veras,reales, & realiter diſtinctas additiones, aut detractiones. Sed abſque ſpecifica(ſecus indiuidua)graduum ſubordinatione,inter quos ſæpè præliatrix Natura,horrida bella per antiperiſtaſin (vti vocamus) tum intrinſecè,tum extrinſecè mouet,tamdiu duratura,vſque dum circumſtans hoſtis aut vincat, aut vincatur.

Exod. 16 *Colligebant autem ſinguli (* manna *) quantum ſufficere poterat ad veſcendum: cúmq; incaluiſſet ſol (* aëre per calorem alterato *) liqueſiebat.*

CAP. 37.

Elementa augmentabilia.

Elemẽta augmẽtabilia. Elementa ſunt augmentabilia, per iuxtapoſitionem, exceſſiuè à minore ad maiorem; defectiuè à maiore ad minorem; adæquatè ab æquali ad æqualem quantitatem, (ſed abſque noua productione) realiter, & formaliter: vniendam: cum alia, ibidem præexiſtente: per vnitionem veram, realem, ex ſe nec inſtantaneam, nec ſucceſſiuam, nec continuam, nec diſcretam: ex accidenti per quamlibet, cum qua inſuper ſociata eſſe ſolet extenſio localis: actualis communiter: aptitudinalis (proximè) ſemper: vtraque beneficio ſeu auxilio denſitatis, & raritatis: quę ſunt quædam quaſi temperamenta, coorta ex varia, tum caloris, & frigoris, tum etiam alijs qualitatibus, inter ſe variè commixtis, habentiaque duplicem effectum.

Primarium, aptitudinem, & exigentiam (proximam) certæ, ac determinatæ extenſionis, tali temperamento debitę. Secundarium, actualem extenſionem, ſiue locationem rei quantæ, maiorẽ raræ, minorem denſæ: abſque vlla partium vel penetratione, vel multiplicatione: ita quidẽ, vt elementa, eorumque mixta (inani-

(inanimata) per ſe nullos aut magnitudinis, aut paruitatis habeant terminos; per accidens vtroſque. *Factum eſt diluuium quadraginta diebus ſuper terram: & multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime à terra. Vehementer enim inundauerunt; & omnia repleuerunt in ſuperficie terræ.* Gen. 7.

CAP. 38.

Elementa generabilia.

ELementa ſunt generabilia, naturaliter; ſupernaturaliter etiam creabilia (ſed à ſolo Deo) non tantùm ſecundùm materiam, ſed etiam ſecundùm formam, & eiuſdē vnionem: ſingula ex ſingulis vel mediatè, vel immediatè: Symbolicum ex Symbolico: Aſymbolicum ex Aſymbolico: vtraque per ſubſtantialem formarum metatheſin, ſiue tranſmutationem: qua forma ſimplex, ſiue Elementaris generanda (naturaliter) non tantùm vnitur cum materia, ſed etiam ex eadem educitur, & in eadem (ceu ſubiecto) recipitur inhæſiuè, illique extenſiuè commenſuratur, mediante quantitate, debitè aut rarefacta, aut condenſata. Elementa generabilia.

Interea ortum eſt murmur populi quaſi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cùm audiſſet Dominus, iratus eſt. Et accenſus in eos ignis Domini deuorauit extremam caſtrorum partem. Num. 11

CAP. 39.

Elementa corruptibilia.

Elemēta corruptibilia.

ELementa ſunt corruptibilia actione negatiua; ſed multis poſitiuis ſtipata: per quam primariò ſpoliantur formis ſubſtantialibus: ſecundariò etiam nonnullis accidentalibus, non tamen omnibus: ijs ſcilicet relictis, quæ tam expellendæ, quàm introducendæ formæ ſubſtantiali: compoſſibiles ſunt, & ſpoliandæ materiæ in ſecundariam tutelam vtiles, nouoque hoſpiti ad nouum præambulæ hoſpitium: quo materia ipſam quoque corruptionem (inimicam naturæ nouercam) libenter recipit, ne eodem ſemper prematur hoſpite, variationis auidiſſima: pręſertim in Elementis, & eorum ſobole, mixtis.

Ibid. *Cùm clamaſſet populus ad Moyſen, orauit Moyſes ad Dominum, & abſorptus eſt ignis.*

CAP. 40.

Elementa miſcibilia.

Elemen- miſcibilia.

ELementa ſunt miſcibilia, perenni laborantis naturæ induſtria: in mixta varia. 1. ratione mixtionis perfectæ, & imperfectæ, in Subſtantialia, & Accidentalia. 2. Ratione miſcentis, & modi miſcendi, in Naturalia, & Artificialia. 3. ratione materiæ, & miſcibilium, in Similaria, & diſſimilaria. 4. ratione formę, in Animata, & Inanimata.

Poſt

Poſt mutuum ſingulorum conflictum : & per ſubſtantialem formę miſcendæ cùm materia miſcibilium vnitionem, triplici actionum genere ſtipatam : quarum aliquę mixtum (mediatè, vel immediatè) producunt, aliquæ perficiunt; aliquæ corrumpunt, & in priſtinam ſimplicitatem reſoluunt. Ex qua actionum varietate oriuntur inprimis diuerſa primarum qualitatum temperamenta, inter ſe, vel ad iuſtitiam, vel ad pondus commenſurata : deinde etiam ex ſingularum dominijs plurimę aliæ affectiones, & proprietates, vario ſenſu, præſertim tactu, perceptibiles : eæque tum continuationi, tum diſſolutioni mixtorum inſeruientes.

Ad continuationem faciunt Concretilitas, Liquabilitas, Tenacitas, Denſatilitas, Preſſibilitas, Formabilitas, Humectilitas : ad diſſolutionem Fractilitas, Friabilitas, Secabilitas, Fiſſilitas, Flammabilitas, Exhalabilitas, & inde ſequens Putribilitas, ſubſtantiali Elementorum mixtioni inimiciſſima.

His adde etiam illas arcanas, & virtuales qualitates, partim motrices, partim alteratrices : aliquas ex ipſo mixto ortas : aliquas à Cœlo impreſſas: has communiter Influentias ; illas Antipathias, & Simpathias vocamus.

Benedixit illis Deus, & ait : Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, Gen. 1.

&

& vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram. quod non poteſt fieri ſine mixtione Elementorum.

CAP. 41.

Elementum Ignis.

Elementum Ignis. IGnis ab in, præpoſitione priuatiua, & verbo, gigno, dicitur, quod in eo, vt nonnulli ſentiunt, nihil generetur. Contrà Varro Grammaticus Ignem à gignendo, & naſcendo dictũ putat, quòd ab Igne omnia naſcantur: & inde rebus omnibus indatur vis viuifica: atque ideo à nonnullis appellatur *Anima mundi*: ab Herodoto *Bellua voraciſsima*, quę quantò plus conſumit, tantò fœcundius renaſcitur, & poſtquam deuorando fuerit expleta, vnà cum ſuo pabulo emoritur: ab Æſchilo παντεχνος omnium artifex.

Prou. 30 *Tria ſunt inſaturabilia: & quartum, quod numquam dicit: Sufficit. Infernus, & os vulua, & terra, quæ non ſatiatur aqua: ignis verò numquam dicit: Sufficit.*

Hinc eidem à ſuperſtioſa antiquitate exhibiti honores varij, etiam diuini: A Romanis deputatæ Virgines Veſtales, perpetuæ Ignis cultrices. Ab Ægyptijs inſtituta annua λαμπαδωκία, Ignibus, è domo Legati regij annuatim renouandis ſacra. Apud Indos ſempiternis quoque ferculis cuſtoditus, pręferebatur prodituris Regibus. In ipſis etiam ſacris litteris paſſim pro diuinitatis Symbolo celebratur:

Locutus

Locutus eſt Dominus ad vos de medio ignis.Vocem verborum eius audiſtis, & formam penitus non vidiſtis. Iterum: *Caue, ne quando obliuiſcaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum: & facias tibi ſculptam ſimilitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit: quia Dominus Deus tuus, ignis conſumens eſt, Deus æmulator.* Deut. 4. Exod.

A Philologo trifariam diuidi ſolet, in Natiuum, Artificioſum,& Miraculoſum.

CAP. 42.

Ignis natiuus.

IGnis natiuus eſt Elementum veriſſimum: ſitu, dignitateque ſupremum ſecundo originum die productum, ex præuia aqua, per Spiritum Domini ſuper eamdem vectum: *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Ignis natiuus. Gen. 1.

Vagatur per omnes mundi partes, haud eodem hoſpitij iure: patriam quidem ſedem ſub concauo Lunę habet, & tuetur contra Pyromachos Cardęniſtas: extra hanc peregrinatur vbique: in Aëre, terra, aquis ipſis: potiſſimùm verò à terra beneuolo ſemper inuitatur hoſpitio, in quotidianos humanæ vitæ vſus. Hinc tanta iſthinc illius copia, & fœcunditas.

Quam ne pabuli defectus minueret, vbique Deus condidit plurima, ad Ignem & concipien-

piendum, & alendum, & augendum, maximè idonea: velut eſt oleum, cera, pix, tæda, ſulphur, &c, quæ vix numerari queant, lignorum diuerſiſſima genera. *Ignis autem in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos, ſubijciens manè ligna per ſingulos dies, & impoſito holocauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum. Ignis eſt iſte perpetuus, qui numquam deficiet in altari.*

Leuit. 6.

Nec tantum facilis eſt Ignis generatio, ſed etiam multiplex. Gignitur igne, gignitur motu, gignitur attritu corporum, gignitur reflexione Solis: denique alibi fontium, & fluminum inſtar, ex intimis terræ viſceribus perenni fluxu emanat, ac tot locis, tot incendijs, natura terras cremat, vt miretur Plinius vllum diem fuiſſe, quo non cuncta conflagrarent. *Dominus regnauit, exultet terra: lætentur inſulæ multæ. Nubes, & caligo in circuitu eius: iuſtitia, & iudicium, correctio ſedis eius. Ignis ante ipſum præcedet: & inflammabit in circuitu inimicos eius.*

Pſal. 96.

CAP. 43.

Ignis artificioſus.

Ignis artificioſus.

IGnis artificioſus eſt variè parabilis: ſiue ad vana curioſitatis ſpectacula, ſiue ad impigra ſedulitatis obſequia: vtrobique ſtupendus, & ſæpè non minus in fictili aliqua Epicteti lucernula, poſt eiuſdem mortem mille drachmis vendita, quàm cùm miſſiles illæ flammæ, artifici

ci ſuo obedientiſſimæ, accenſas exhibent irides triſulca fulgura, crocones igniuomos, & totos ſcintillarum imbres, Aquilas etiam, & Leones, per æthera innoxio volitantes incendio.

Paſſim laudantur illi veteris Tamẽti Lychni, ſpontaneo olei affluxu ardentes: *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Alibi: *Erant autem lampades copioſæ in cœnaculo, vbi eramus congregati.* Cant. 8. Act. 20.

Et illa Theodoſij Magni lampas, ſeipſam mouens, & fouens.

Sunt etiam hodiè, qui Ignem perpetuum ſub Chimicis cineribus ſcrutantur, non improbabili conatu: & naturaliter poſſibilem, nemo ferè negat: de facto talem repertum fuiſſe iam ſæpiùs, ſed dein iterum vel iniuria, vel incuria deperditum, affirmant plerique, ex varijs antiquiſſimis elychnijs, & lucernis: qualem Pancirolus, lib. 1. perditorum, & deperditorum, ſcribit, tempore Pauli III. repertam fuiſſe in ſepulchro Tulliæ, poſt annos mille quingentos quinquaginta adhuc ardentem; ſed mox admiſſo aëre extinctam.

Tale etiam videtur fuiſſe illud Plinij elychnium, ex asbeſto ſeu lino viuo confectum: & ille liquor, quem Abulenſis, in cap. 25. Matth. ait, etiam in medio flammæ ardere, nec aliter extinguibilem, quàm per filum, aceto madefactum.

CAP.

CAP. 44.

Ignis miraculoſus.

Ignis miraculoſus. IGnis eſt miraculoſus: naturaliter, hoc eſt, præter communē naturæ ordinem: vt cùm 1. in Chimæra monte proſultans ignis, aquis accenditur, terra fœnoq́ue extinguitur. Plinius, lib. 2. cap. 106.

2. In Nymphæo è petra manat fontis inſtar, Fraxino iuxta identidem virenti innoxius. Idem, lib. 2. cap. 106.

3. In Pythecuſis reperitur, qui ardet, lucet, ſed non vrit. Ariſtoteles, de admirand. c.35.

4. Eſt alicubi, qui auibus (pyrauſtas appellant) nidum ſuppeditat. Solinus, 16.

5. Reperitur in Iſlandia, qui ſtuppa inuiolata, aquam abſumit. Surius, in Commentar. Orbis an. 1537.

Miraculoſus ſupernaturaliter, hoc eſt; ſupra communem, vel virtutem, vel modum ſuo diuino Thaumaturgo familiaris. Verbi g. cùm fit 1. vindex ſcelerum. Sic olim periēre impudici Sodomitæ, & Gomorrhetæ: *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem à Domino de cælo: & ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuerſos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* (Gen. 19.)

Inobedientes Nadab, & Abiu: *Arreptiſq́ue Nadab, & Abiu, filij Aaron, thuribulis, poſuerunt ignem, & incenſum deſuper, offerentes coram Domino* (Leuit. 10)

mino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. Egreſſuſque ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui ſunt coram Domino.

Seditioſi viri plurimi: *Sed & ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum.* Num. 16

Populus querulus: *Igitur ortum eſt murmur populi, quaſi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cùm audiſſet Dominus, iratus eſt. Et accenſus in eos ignis Domini, deuorauit extremam caſtrorum partem.* Num. 11

Milites temerarij in Eliam Prophetam: *Miſit (Ochozias) ad eum quinquagenárium principem, & quinquaginta, qui erant ſub eo. Qui aſcendit ad eum: ſedentíque in virtice montis ait: Homo Dei, rex præcepit, vt deſcendas. Reſpondenſque Elias, dixit quinquagenario: Si Homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo & deuoret te, & quinquaginta tuos. Deſcendit itaque ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo.* Idque iterum. 4. Reg. 1

2. Cùm Ignis ſit index ſanctitatis. Sic radiarunt ignitæ linguæ ſupra capita Apoſtolorum: *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum.* Act. 2.

Sponte accenſa lumina ab exilio redeuntibus Chriſtianis. In vita S. Gregorij. l. 2. c. 23.

Ignea fax, ſupra antrum defuncti Anachoretæ ſeptennium perpetuata. Sophronius, in Prato cap. 78.

3. Cùm ignis ſit innoxius rebus naturaliter vſtibilibus: Tres pueri Babylonici illæſi permanſerunt in clibano accenſo: *Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſocijs eius, in fornacem: & excußit flammam ignis de fornace. & fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem; & non tetigit eos omnino ignis, neq; contriſtauit, nec quidquam moleſtia intulit.*

Dan. 3.

Polycarpus Martyr in rogo. Nicephorus, lib. 3. c. 35. Plurimi alij ſupra ardentes ſartagines, craticulas, & laminas, in Æris Chriſtianis paſſim.

4. Cùm Ignis ſit noxius rebus, naturaliter inuſtibilibus. v. g. animabus expiandis purgatorius; damnatis Infernalis: ille aliquantiſper, iſte æternùm: vterque per qualitatem ſpiritualem dolorificam, in ſubiecto ſpirituali productam, vterque eleuatus ab agente ſupernaturali: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.*

Matth. 25.

Miraculoſus commentitiè: per variam πυρομαντείαν. Sic olim tedę piceæ accendebãtur, & certis characteribus ſignabantur, & ſi flamma tedarum in vnum coibat, proſperum; ſi labens, & diuiſa comparebat, infelicem; ſi tricuſpis aſſurgebat, glorioſum euentum; ſi variè diſperſa, in ægro mortem, in ſano morbum ominabantur. Delrio, lib. 4. diſq. Magicar. c. 2. q. 7. ſect. 1.

CAP. 45.

Ignis calidus.

IGnis eſt calidus ex natura ſua : calore ſpecificè eodem, quo alia corpora, ſiue ſimplicia, ſiue mixta, calent : numquam tamen vel ſupra octauum gradum intenſo, vel infra primum remiſſo, naturaliter: ſupernaturaliter & intenſiorem, & remiſſiorem admitteret, imò etiam omnem dimitteret, actualem, ſecus aptitudinalem: ceterùm in ſuo puritatis ſtatu calorem habet blandiſſimum, atque omninò innoxium: in noſtro autem impuritatis foco validiſſimum, & ſuâ edacitate omnia vaſtantem, & conſumentem, modis diuerſiſſimis, pro diuerſitate ſubiecti, in quod combuſtiuè agit. Ignis calidus.

Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues, pueroſque conſumpſit, & effugi ego ſolus, vt nunciarem tibi. Iob. 1.

CAP. 46.

Ignis ſiccus.

Ignis eſt ſiccus excellenter: humidioris tamen pabuli (præſertim ſi aëreum ſit) haud impatiens: à quo etiam variè incraſſatur, & impuratur, ita vt, quà talis, his ferè adminiculis indigeat. Ignis ſiccus.

1. Aëre ambiente, in quem non modò flam-

ma, & fumus, ſe explicent, ſed & ea quæ ab ignitis carbonibus exhalant.

2. Pabulo, continuæ generationi, & reparationi proportionato, tum ſecundùm quantitatem, ne flamma vel nimio pabulo, vel minutiore debilitetur: tum ſecundùm qualitatem: vt ſcilicet ſit mixtim aëreum, & terreum: quorum illud ratione caloris, hoc ratione ſiccitatis Igni eſt cognatum.

3. Ventilatione, ſiue agitatione, flammam quaſi ſopitam continuè ſuſcitante.

4. Foco, ſiue pyrothecâ, quâ vel tectus, vel clauſus Ignis, ab extrinſeca violentia defendatur.

Leuit. 6. *Ignis autem in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos. ſubijciens ligna manè per ſingulos dies, & impoſito holocauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum.*

CAP. 47.

Ignis ſubtilis.

Ignis ſubtilis. IGnis eſt tenuis, ſiue ſubtilis, præſertim purus: atque idcircò inuiſibilis, ſuamque naturalem & lucendi, & vrendi vim minùs exercens: & propter materiæ combuſtibilis carentiam: & ob propriam raritatem: impurus, craſſior eſt, eiuſdem tamen ſpeciei cum illo tenuiore: viſibilis quoque eſt propter innatam lucem, præſertim admixta pabuli denſitate excitatam.

Tunc

Tunc Nabuchodonoſor repletus eſt furore: & aſpectus faciei illius immutatus eſt ſuper Sidrach, Miſach, & Abdenago; & præcepit, vt ſuccenderetur fornax ſeptuplum, quàm ſuccendi conſueuerat: Et viris fortiſſimis de exercitu ſuo iuſſit, vt ligatis pedibus Sidrach, Miſach, & Abdenago, mitterent eos in caminum ignis ardentis. Dan. 3.

Præter lucem in Igne reperiuntur Flamma, Carbo, Fumus, Cinis, Fuligo. Flamma eſt exhalatio, ſeu Fumus ardens, cui plus humidi aërei ineſt.

Carbo eſt terra, ſeu terreſtre quid accenſum, in quo Ignis, ob denſitatem, valdè actiuus eſt.

Fumus eſt vapor, ſiue exhalatio (latiùs loquendo) ex partibus humidioribus vi ignei caloris expreſſa.

Cinis ſunt reliquię terreſtris materiæ combuſtæ.

Fuligo denique, nihil aliud videtur eſſe, quàm vapor aqueus, vi Ignis liqueſcens. *Barbari verò præſtabant non modicam humanitatem nobis. Accenſâ enim pyrâ, reficiebant nos omnes, propter imbrem, qui imminebat, & frigus. Cùm congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantam multitudinem, & impoſuiſſet ſuper ignem, vipera à calore cùm proceſſiſſet, inuaſit manum eius.* Act. vlt.

CAP. 48.

Ignis leuis.

Ignis leuis. IGnis eſt leuis,hoc eſt,mobilis ſurſum: ſimpliciter , ſiue ſuper reliqua Elementa:ex natura ſua:&,niſi vel extrinſeco pabuli retinaculo, vel extraordinario Naturæ(vacuum cauentis) diuerticulo impediatur , per intrinſecam leuitatem (qualitatem motiuam) ex primarum qualitatum temperamento originaliter fluentem , & ſuæ formæ ſubſtantiali , ceu ſecundariam proprietatem, ſuperadditam:quā tamen ſcholę primariam appellant , ad diſtinctionem illius ſecundariæ,quæ leuitatio dicitur:eſtque actualis niſus ad motum vel inchoandum, vel continuandum.*Abraham autem,conſurgens manè, vbi ſteterat priùs cum Domino , intuitus eſt Sodomam, & Gomorrham, & vniuerſam terram regionis illius : viditque aſcendentem fauillam de terra , quaſi fornacis fumum.*

Gen. 19.

Huius virtute,Ignis , tam intra ,quàm extra ſuum locum,actualiter leuitat, hoc eſt , nititur moueri, intra ſine omni motu locali: extra,aliquando,ſine motu,aliquando cum motu:in cuius fine (ſi naturalis ſit) ſemper celeriùs aſcendit , quàm in principio : per eamdem numero leuitatem ſecundariam, ſiue leuitationem, durante tamen motu magis roboratam.

Exod. 3. *Moyſes autem paſcebat oues Iethro , ſoceri ſui, ſacerdotis Madian:cumq; minaſſet gregem ad interiora*

teriora deſerti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitq́; ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.

CAP. 49.

Ignis Actiuus.

IGnis eſt actiuus, præ reliquis Elementis: per lucem, ſed præcipuè per calorem, (ſuum primarium characterem) in diuerſis ſubiectis diuerſimodè operantem: operâ non tantùm naturæ, ſed etiam Artis vndequaque miriſſimâ: vnde etiam Ignis πάντεχνος, ſiue vniuerſalis artifex appellatur: eſtq́ue fons omnis Pyrotechniæ: quæ hodiè adeò varia eſt, præſertim in chymicis foculis: vt Ars ipſam Naturam (Magiſtrã ſuam) triumphare videatur: quando nimirum in illis ſingulę res (ſiue terreæ, ſiuè aëreę, ſiue aqueæ) mirâ formarum metamorphoſi ſoluuntur, ſeparantur, ſublimantur, deſtillantur, calcinantur, reuerberantur, extrahuntur, coagulantur, multiplicantur, rectificantur, clarificantur, fermentantur, & quid non? omnia vario Ignis miniſterio, ad certas Artis leges moderabili. Ignis actiuus.

Dixit ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumq́ue, & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me. Fecitq́ue populus, quæ iuſſerat, deferens inaures ad Aaron. Quas cùm ille acceperit, Exod. 32

cepiſſet, formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem, virtute Ignis.

Vſtio, potiſſimus Ignis effectus eſt, & ab hac Vſtile dicitur, omne id, quod habet poros, ad ſuſcipiendum Ignem idoneos: & humorem, igneo calore imbecilliorem, continentes: quę verò omnino poris carent, vel in illis continent humorem inuincibilem, non ſunt combuſtibilia: & ea, quę firmiorem ſiccarum partium cum humore adhæſionem, & ſpecialem vnionem formæ ſubſtantialis cum materia habent.

Combuſtibilium quędam emittunt flammam, quædam non emittunt: & quò plus humidi aërei ineſt, eò plùs inflammant: inflammabilium alia carbones relinquunt: quæ ſcilicet plus terræ habent, quàm humidi tenuis, vt ligna: quædam carbones non relinquunt, vt charta, panni &c. quædam per ſe flammeſcunt, vt ligna: quædam iuncta alijs, vt oleum, cera, butyrum.

Dan. 3. *Et congregati ſatrapæ, & magiſtratus & iudices, & potentes regis, contemplabantur viros illos, quoniam nihil poteſtatis habuiſſet ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non eſſet aduſtus, & ſarabala eorum non fuiſſent immutata, & odor ignis non tranſiſſet per eos.*

CAP.

CAP. 50.

Ignis paſsiuus.

IGnis eſt paſſiuus, ſiue expugnabilis à varijs hoſtibus, aqua, lacte, potiſſimùm aceto, tum propter frigoris excellentiam; tum ob vim poros penetrandi, & Ignem ſuffocandi. Ignis paſsiuus

Hinc apud Poliænum legimus, cùm Athenocles ad diſſipandas hoſtium teſtudines, de ſuperiore loco liquefactum plumbum inſtar imbris effudiſſet, hoſtes ex aduerſo magnam aceti vim ſiphonibus ſurſum iaculatos eſſe: quâ ratione plumbum, in aere reſtinctũ, ſine damno decidit: & hodiè frequens vſus eſt aceti in bellis ad fiſtulas æneas citò refrigerandas. Plinius albumini ouorum: Albertus Magnus ſuccis mucilaginoſis propè eamdem tribuit facultatem.

Et ædificauit (Elias) de lapidibus altare, in nomine Domini: fecitque aquæductum, quaſi per duas aratiunculas, in circuitu altaris, & compoſuit ligna: diuiſitque per membra bouem, & poſuit ſupra ligna, & ait: Implete quattuor hydrias aqua, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna. Rurſumque dixit: Etiam ſecundò hoc facite. Qui cùm feciſſent ſecundò, ait: Etiam tertiò idipſum facite. Feceruntque tertiò, & currebant aquæ circum altare, & foſſa aquæductus repleta eſt. 3. Reg. 18.

Ceterùm hæc de domeſtico dumtaxat Igne ſunt intelligenda: ſecus de Infernali: quem iu-

ſtus ſcelerum vindex, Deus, propter dęmones, hominesque facinoroſos, æternùm arſuros, inextinguibilem eſſe vult, & volendo facit. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt vſq; ad ſatietatem viſionis omni carni.* Iſa. vlt.

CAP. 51.

Elementum Aëris.

Elementum Aëris.

AEr, alterum Mundi Elementum, Igni origine coęuum: ſitu proximum: propter ſuam pelluciditatem communiter appellatur *Æther*, ſiue *Cœlum aëreum*: & ob tenuitatem, cuiuis rei corpulentę peruiam, *Spiritus*.

A Tertulliano, lib. contra Valer. 23. *Perpetua reciprocationis ſpatium, tenerrima omnium corporum veſtis.* Ab eodem ibidem, *Organum temporum.* A Satyrico, Satyr. 13. *Natura armamentarium.* A Damaſceno, hom. de Sabbato S. *Ventilationis penus, vehiculum lucis.*

A Triſmegiſto, cap. 8. in Aſblip. *Organum,* & *Machina*, per quam omnia fiunt. A Zoraſte *παντοτρόφος: communis Nutritius*: ab alijs *Magnum mundi auiarium*: ab Ægyptijs, *Deorum nuncius:* à nonnullis Theologis, *Carcer dæmonum*: communiſſimè à Philoſophis, Elementum leue, calidum, & ſummè humidum, complens omnem locum, nullo alio corpore repletum.

Elias

Elias dixit ad puerum ſuum: Aſcende, & proſpice contra mare. Qui cùm aſcendiſſet, & contemplatus eſſet, ait: Non eſt quidquam. Et rurſum ait illi: Reuertere ſeptem vicibus. In ſeptima autem vice, ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis, aſcendebat de mari. 3. Reg. 18.

CAP. 52.

Aër natiuus.

AEr natiuus communiter in tres diſtinguitur regiones: ſupremam, mediam, infimam. Suprema dicitur, quę à ſummitatibus altiſſimorum montium incipit, & deſinit ſub Ignis concauo. Media inter ſupremam, & infimam intercipitur. Infima initium capit à ſuperficie terræ, & eò protenditur, quouſque radij à terra reflectuntur. Aër natiuus.

Singulæ inter ſe differunt quantitate & qualitate. 1. quantitate: Suprema eſt omnium maxima, eamdemque ſemper amplitudinem ſeruat. Reliquæ duæ ſunt minoris quantitatis, nec etiam ſemper eiuſdem: æſtiuo enim tempore, infima fit maior; media, minor: Hiemali verò infima minor; media maior eſt. Huius inęqualitatis cauſa eſt Solis in æſtate ſublimitas, & propinquitas verſus punctum verticale; Hieme verò eiuſdem depreſſio, & à puncto noſtro verticali remotio: hæc minorem, illa maiorem facit reflexionem: variabilem infimæ regionis limitem.

Surge

Cant. 2. *Surge, propera, amica mea, columba mea formoſa mea, & veni. Iam enim Hiems tranſijt, imber abijt, & receſſit.*

2. Differunt regiones illæ qualitate; calidiſſima omnium eſt ſuprema: tum propter nuſpiam impeditum Siderum influxum; tum ob propinquitatem Ignis: ad cuius naturam etiam videtur magis vergere: media, frigidiſſima: infima, temperata: ſecundùm variam radiorum Solarium reflexionem.

Ibid. *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra: Ficus protulit groſſos ſuos: vineæ florentes dederunt odorem ſuum.*

CAP. 53.

Aër artificioſus.

Aër artificioſus. AEr eſt artificioſus: neque enim minùs Arti, quàm Naturæ obſequitur. Hoc animantur omnia organa in tot, & tam multipli-
Pſ. 150. ces modulos: *Laudate eum in tympano, & choro:*
Act. 2. *laudate eum in chordis, & organo.*

Per hunc omnes linguæ fiunt vocales: *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſãcto, & cœperũt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.*

Per hunc reſonãt montes, valles, ſiluę, vario
3. Reg. 1 aurium ludibrio: *Et aſcendit vniuerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibijs, & lætantium gaudio magno, & inſonuit terra à clamore eorum.*

Sunt qui in aëre etiam motus perpetuos me-

meditentur: & quid noui Æoli, hoc tempore non paſſim Artis beneficio machinantur? Alibi ventos, etiam reluctantes, in anguſta carbaſa coërcent. Alibi eoſdem agitandis molendinis famulari cogunt, facili lignearum alarum imperio: ita etiam Chymici, vt illa Ignium regimina ritè moderentur, varium petunt auxilium ab Aëre, diuerſis ſpiraculis artificioſè aut admiſſo, aut excluſo, magnâ intuentiũ voluptate.

CAP. 54.

Aër miraculoſus.

AEr eſt miraculoſus naturaliter: Aër miraculoſus.

1. Vter, aëre plenus, bilanci impoſitus, magis grauitat, quàm vter vacuus.

2. Idem vter, aëre fartus, ſupernatat, altero inani mox ſubmergente.

3. Idem aëre è pulmonibus exſpiratus ore compreſſo, frigefacit; deductis labijs calefacit.

Aër eſt miraculoſus ſupernaturaliter.

1. Aër Ægyptiacus, triduanis tenebris obſcuratus, propter Hebræos, cæcis ergaſtulis detentos: *Extendit Moyſes manum in cœlum: & facta ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco, in quo erat.* Exod. 9.

2. Admirandus ille in Pentecoſte aduentantis Spiritus ſonus: *Cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repentè de cœlo ſonus, tamquam aduenientis* Act. 2.

ſpiritus

ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes.

3. Aura in Cœlo Empyreo (ſublunari longè perfectior) Beatorum corporalibus functionibus deſtinata: *Fulgebunt iuſti, & tamquam ſcintillæ, in arundineto diſcurrent. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.*

Sap. 3.

Aër eſt miraculoſus commentitiè.

1. Variæ Aëris incantationes, Germanis ſagis, & Magis notæ.

2. Eiuſdem obſeruationes, nullis naturalibus, aut ſupernaturalibus rationibus nixæ.

3. Æromantia Lapponum, & Finnorũ, apud Olaum Magnum, l. 3. c. 16. qui mercatoribus nauigantibus auram venalem exhibent, traduntque tres nodos, magicâ arte precioſos: quorum primo ſoluto auram placidam, ſecundo vehementiorem, tertio vehementiſſimam ſint habituri.

Exod. 7. *Vocauit autem Pharao ſapientes, & maleficos: & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam ſimiliter.*

CAP. 55.

Aër humidus.

Aër humidus.

AEr eſt humidus humiditate ſummâ, ſibi potiſſimùm connaturali: quâve prædominatiuè pugnat aduerſus Ignis ſiccitatem, ſuo tem-

temperamento maximè contrariam: cuius etiam virtute Aër fit maximè fluidus, atque in tenuiſſimos poros commeat, facileque continetur alieno termino, ſuo verò difficillimè.

Præter hanc natiuam, etiam aliam aduentitiam admittit humiditatem, partim ab humectantibus Aſtris, partim ab euaporãtibus aquis afflatam: quæ cùm plerumque purè aërea denſior ſit, & craſſior, Aër quoque magis per hanc humectat, quàm per illam: ſicque humectatis corporibus tenaciùs adhæreſcit: non quidem ex intrinſeca humiditatis natura, ſed propter extrinſecam denſitatem, ſiue craſſitatem, ſuo aëreo vehiculo admixtam.

Dixit (Gedeon) rurſus ad Deum: Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentauero, ſignum quærens in vellere. Oro, vt ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens. Fecitq; Deus nocte illà, vt poſtulauerat: & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra. Iud. 6.

CAP. 56.

Aër calidus.

AEr eſt calidus calore excellenti quidem, ſed nonnihil per admixtã humiditatem hebetato: variè pro varietate regionum. Suprema ſicciſſima, calidiſſimaque eſt, & idcircò tenuiſſima propter viciniam Ignium, & illos tot motus Siderum. Media temperatior, ſi Aër calidus

ſummis

ſummis, imiſque conferas, & quantum ad ſiccitatem, tenuitatemque pertinet: ceterumque vtraque parte frigidior: nam ſuperiora calorem Ignium ſentiunt;inferiora quoque tepent: primùm terræ halitu, qui multum ſecum calidi affert: deinde quia radij Solis replicantur, & quouſque redire potuerunt, replicato calore benigniùs fouent.

Denique etiã illo ſpiritu, qui omnibus animalibus, arbuſtiſque, ac ſatis calidus eſt: nihil enim viueret, ſine calore: Adijce nunc Ignes non tantùm manufactos,& certos, ſed opertos terris, quorum aliqui eruperunt; innumerabiles in abſcondito flagrant. Sicque diuiſus Aër in hac ima ſui parte maximè varius, & inconſtans eſt.

Cauſas autem huius mutationis, & inconſtantiæ aliàs terra præbet: cuius poſitiones, huc aut illuc verſæ, magna ad Aëris temperiẽ ſunt momenta: aliàs Siderum curſus: ex quibus Soli plurimùm imputes: illum ſequitur Annus; ad illius fluxum Hiemes,Æſtates vertuntur: Lunę proximum ius eſt.

Sed & ceterę quoque Stellę non minùs terrena,quam Spiritum terris incumbentem afficiunt, & ortu ſuo, occaſúque, modò frigora, modò imbres,aliaſque terrarum iniurias turbidę mouent. *Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hiems, nox & dies, non requieſcent.* Gen. 8.

CAP.

CAP. 57.

Aër tenuis.

AEr eſt tenuis ſiue ſubtilis, & mirabili Dei artificio tenuatus: minùs tamen Igne puro, etiam in ſuprema ſua regione: hacque ſuâ tenuitate omnia permeans: non aperta tantùm, ſed etiam abdita, & incluſa: Aër tenuis.

Quod (ait Seneca, l.2.c.9) illi facere expeditum eſt: *quia nuſquam diuiſus, ſed per ipſa, quibus ſeparari videtur, coit ſecū: interponas licet muros, & mediam altitudinem montium, per omnia iſta prohibetur nobis eſſe peruius, non ſibi; id enim intercluditur tantùm, per quod illum ſequi poſſumus: ipſe quidē tranſit per ipſum, quod ſcinditur. & media non circumfundit tantùm, ſed vtrimq́; ſcindit,* per cuncta rerum meabilis.

Haud tamen eâdem vbique tenuitate: alicubi enim ex varijs admixtionibus parumper craſſeſcit ad maiorem animalium commoditatem: cuius permixtionis defectu, Aër ſuperus (ad quem quidam montes pertingere dicuntur) tam tenuis eſt, vt aues volantes ſuſtinere nequeat, neque homines ipſos illuc conſcendentes fouere poſſit; ſed cogantur ſpongijs aquâ plenis (vnde identidē humorem ſugant) cordis refrigerationē procurare. Vt de Olympi vertice teſtatur Gregorius Nyſſenus, in Hexameron.

Ait Dominus Eliæ: Egredere, & ſta in monte coram 3. Reg. 19.

ram Domino: & ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis, ſubuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus, & poſt commotionem ignis: non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis.

CAP. 58.

Aër leuis.

Aër leuis. AEr eſt leuis, hoc eſt, mobilis ſurſum ex natura ſua: non tamen ſupra ignem: cui in perfectione leuitatis cedit, abſque vlla tamen grauitatis permixtione: quieſceret in domicilio ſuo proprio niſi extrinſecus impelleretur: in noſtro confinio ad omnem loci differentiam mobiliſſimus eſt, & terræ ita contiguus eſt, vt ſtatim ibi futurus ſit, vbi illa diſceſſit: vbique certè ad vitandū Vacuū ſupplemento oportunus: eſtque perpetuus cœli, & terræ internuncius: ſupra ſe euehens, quidquid ab hac recipit: & ab illo Siderum vim ad terrena transfundens.

Num. 11 *Ventus autem egrediens à Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, & demiſit in caſtra itinere, quantum vno die confici poteſt, ex omni parte caſtrorum per circuitum, volabantque in aëre duobus cubitis altitudine ſuper terram.*

— Præter primariam leuitatem, etiam ſecundariam habet, eo ferè modo, quo Ignis: hancque exercet ſine motu ſuper aquam: infra hanc cum

cum motu, tamdiu inquietus, vſque dum patrio reſtituatur domicilio. *Subitò aër cogetur in nubes, & ventus tranſiens fugabit eas.* Iob. 37.

CAP. 59.

Aër actiuus.

AEr eſt actiuus: & quidem obſequentiſſimus vbique laborantis Naturæ miniſter: cui etiam ſuas vires attemperare nouit: pacatæ ſcilicet pacatas: turbulentæ turbulentas: vniuerſim autem mirè ſeruit humanis vſibus: per Aërem viuimus, cernimus, audimus, ſpiramus, loquimur, mouemur, infinitâ actionum varietate. *In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus.* Act. 17.
Alibi: *Quoniam fumus flatus eſt in naribus: & ſermo ſcintilla ad commouendum cor noſtrum: quâ extinctâ, cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur, tamquam mollis aër.* Sap. 2.

Aër actiuus.

Ceterùm eius vim oſtendunt inflata, nec ad ictum cedentia: oſtendunt pondera, ſæpè per magnum ſpatium ablata geſtante vento: &, quod ſæpè ſtupent homines, magnas arbores, ſaxa grauiſſima, ingentes rupes è montibus diuellit, quaſſatque terras cum montibus, & ſurſum iactat: *Et ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis, & fortis, ſubuertens montes, conterens petras ante Dominum.* 4. Reg. 19.

Nec aqua vllo tormento magis agitur, cogiturque, quàm Spiritu: huic ſe commodat:

hoc inſerto, & cogente attollitur, & contra naturam ſuam aſcendit, nata defluere: atque hoc eſt, quod Seneca dicit, *ſine Aëris intenſione nil validum; & contra quam nil validius eſt.*
Matth. 8 *Et aſcendente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius: & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.*

CAP. 60.

Aër paſſiuus.

Aër paſſiuus. AEr eſt paſſiuus: 1. ab Aſtris, malignè radiantibus: 2. à ventis, noxia adflantibus: 3. ab aquis, ſitu putreſcentibus: 4. à terra ipſa, alicui Mephitim exhalante. 5. à varia anni periodo: cuius clementiam, inclementiámue plerumque imitatur.

Benè quidem, ſi aër vernalis ſit calidus, & humidus; æſtiuus, calidus, & ſiccus; autumnalis, frigidus, & ſiccus; hyemalis, frigidus, & humidus. Malè, ſi hæ qualitates vel excedant, vel vltra anni curſum ſeſe immutent, futuræ tunc variorum morborum ſeminaria.

Sic aër calidior partim extenuat, diſſoluit, ac diſcutit; partim ſanguinem adurit, bilem auget, morboſque acutos gignit: neque tantum noxios calores excitat, ſed etiam ſalubriores apertis poris euocat, diſſipatuè, ac breuitatem vitæ inducit.

Frigidior homines, humoreſque incraſſat, exterio-

exteriores corporis partes denſat, poros concludit, & malignarum defluxionum feraciſſimus eſt. Aër denique, ſi iuſto ſiccior ſit, aut humidior, mox ſublunariũ corporum temperiem vitiat: contrario aëre corrigendam.

Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hiems, nox & dies non requieſcent. Gen. 8.

CAP. 61.

Elementum Aqua.

AQua, ſic dicta, vel ab æqualitate, propter quam, vt Mare, Æquor, ita Aqua, quaſi æqua dicatur: vel certè quòd illa in hoc Vniuerſo ſit cauſa, & origo, à qua ſint omnia. Elementum Aquæ.

Conſentit Seneca.l.3.natur.q.c.13. vbi cum Thalete opinatur, ex Aqua ſurrexiſſe omnia: & vt Ignis futurum mundi exitium, ita humorem eiuſdem primordium fuiſſe.

Anno ſexcenteſimo vitæ Noë, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli apertæ ſunt: & facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Gen. 7.

Hoc certum: in hoc inferiore mundo nihil vilius Aquâ, eademquè nihil eſſe vtilius, ad innumera vitæ humanæ ſubſidia. Hinc antiqui mirè ſunt venerati Aquas, præcipuè fontanas. His Romani annua fontinalia verno menſe cele-

lebrabant: Ægyptij, vt oſtenderent omnia è liquoris poteſtate conſiſtere, ingentē Hydriam, aquâ plenam, ad templum deferebant, & ſuper eamdem procumbentes, dijs ſuis, illius inuentoribus, gratias agebant. Vitruuius, lib. 8. in proœmio.

Gen. 1. *Dixit verò Deus:* (die tertio) *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum: & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam, Terram; congregationeſque aquarum appellauit Maria.*

CAP. 62.

Aqua natiua.

Aqua natiua. AQua eſt natiua: Elementum, toti neceſſarium Vniuerſo: Aëre, & Igne prognatis,

Ibid. origine prius, iiſdem ſitu poſterius: *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.*

Sui mirè prodigum, & non tantùm olim in primæuam ſuam ſobolem, Aërem, Ignem, Cœlum, euiſceratum:

Ibid. *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his, quæ erant ſuper firmamentum.*

Etiamnum hodiè benignè fluit in metalla, arbuſta, animalia, Orbem vniuerſum: per tot traduces venas, & naturæ ductus. Primo biduo terræ vniuerſæ circumfuſa: & tertio demum die,

die, poſt multiforme diuortium, hinc inde diffuſa, cum terra (paſſim protuberante) in vnam Sphæram conceſſit, ambitu perpetuo, & iam aliquoties à Mundiuagis huius ſæculi Neptunis circumnauigato; vt videre eſt in Hydrographicis tabulis, ad acum magneticam (communem nauigantium Mercurium) elaboratis. *Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum: & appareat arida.* Ibid.

Ceterùm Aqua vniuerſim varia eſt, extra, & intra terram: exterior partim in aërem euehitur; partim in Maria, flumina, & fontes dilabitur: Interior; partim ſimplex manet; partim cum ſubterraneis mineris miſcetur, variéue alteratur. Hinc Aquę, aliæ ſunt dulces, aliæ ſalſæ, & plerumque medicatæ: quibus annumerantur ſulphuratæ, ferratę, aluminoſæ: indicat vim ſapor. Varia.

Habet & alia diſcrimina, primùm tactus: Frigidæ, calidæque ſunt: deinde ponderis: Leues, & graues ſunt.

Tum coloris: Puræ ſunt, & turbidæ, cæruleæ, & lucidæ. Denique ſalubritatis: Sunt enim ſalubres, & vtiles, ſunt mortiferæ, ſunt quæ cogantur in lapidem: quædam tenues, quædam pingues: quædam alunt: quędam ſine vlla bibentis ope tranſeunt: quædam hauſtæ, corpus variè vitiant, ſæpè etiam necant. Harum aquarum receptacula communiter appellantur Thermæ, & Acidulæ, &c.

Exod. 15. *Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd eſſent amaræ: vnde & congruum loco nomen impoſuit, vocans illum Mara, id eſt, amaritudinem. Et murmurauit populus contra Moyſen, dicens: Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum: qui oſtendit ei lignum: quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.*

Alia naturalium aquarum diſcrimina ſunt, Oceanus, Mare, Sinus, Fretum, Oſtium, Fons, Fluuius, Lacus, Palus.

Oceanus. Oceanus, quẽ Sacræ Litteræ Abyſſum aquarum appellant, eſt mare magnum, ſeu ingens illud pelagus, in quo tota terra, quaſi magna inſula, nauigare videtur: nomen primarium à celeritate ducit: Gen. 1. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.*

Plurima alia ſecundaria ſumit, vel à varia Cœli poſitione, vel à Prouincijs, vel ab Inſulis, vel à Montibus, vel à Gentibus, vel Regum, & Ducum memoria. Hinc alius dicitur Oceanus Occiduus, alius Eous, alius Orientalis, Æthiopicus, Atlanticus, Scythicus, Hiſpanicus, Gallicus, Britannicus, Hibernicus, Germanicus, Hyperboreus, Auſtralis, &c. Exod. 15. *Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro. Abyſſi operuerunt eos; deſcenderunt in profundum, quaſi lapis.*

Mare. Mare differt ab Oceano, vt pars à toto: eſt enim illud ceu pars, certis terræ partibus irrigata: atque ideò etiam Mediterraneum appellatur: diuiditurque in Ibericum, Ballearicum, Gal-

Gallicum, Liguſticum, Siculum, Adriaticum, Ionicum, Creticum, Ægyptiacum, Pamphylium, Syrium, Ægęum, Myrtoum, Icarium, Caſpium, &c. *Veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me.* Pſal. 68.

Sinus eſt littus curuatum, duobus quaſi brachijs influentis maris vndas excipiens. Sunt alij in Oceano, in ijſque vel Orientales, vel Occidentales: alij in Mediterraneo. Sinus.

In Oceano, Orientales numerantur decem: 1. Sinus Magnus. 2. Perimulicus. 3. Sabaricus. 4. Bangericus, ſeu Golfo de Pengala. 5. Moabaricus. 6. Canthius, ſiue Golfo de Cabaia. 7. Paragonicus. 8. Perſicus. 9. Arabicus. 10. Barbaricus.

Occidentales ſeptem: Sinus Magnus. 2. Sarmaticus. 3. Finnicus. 4. Boddicus. 5. Ganduicus. 6. Mexicanus. 7. Vermilius.

In Mediterraneo numerantur nouemdecim: 1. Gallaticus. 2. Adriaticus. 3. Ionius. 4. Riſonius. 5. Ambracius. 6. Corinthiacus. 7. Chelonites. 8. Meſaniacus. 9. Laconicus. 10. Argolicus. 11. Saronicus. 12. Maliacus. 13. Pelaſgicus. 14. Thermaicus. 15. Toroniacus. 16. Singeticus. 17. Strymonicus. 18. Melas. 19. Pamphilius.

Hoc mare magnum, & ſpacioſum manibus: illic reptilia, quorum non eſt numerus. Animalia puſilla cum magnis: illic naues pertranſibunt. Pſ. 103.

Fretum, à feruendo dictũ: eſt mare particu- Fretum.

lare ſuis anguſtijs concitatum: alia maiora, vt Gaditanum, Anianum, Magellanicum, & nouum Mexicanum: vtrumque à ſuis inuentoribus nominatum. Alia minora, vt Siculum, Gallicum, Euboicum, Calydonium, Euripi, Thracium, Cimerium, Cilicium, Helleſponticum,

Matth. 8 Herculeum, Naſſonicum, Hudſonicum &c. *Videns autem Ieſus turbas multas circum ſe, iuſſit ire trans fretum.*

Oſtium. Oſtium eſt fluuiorum exitus in Mare: per

Iob. 38. orbem paſſim multiplex. *Quis concluſit oſtijs mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens: Cùm ponerem nubem, veſtimentum eius; & caligine illud quaſi pannis infantiæ inuoluerem?*

Fons. Fons eſt principium, ſiue ſcaturigo, de mea-

Pſal. 41. tibus terræ erumpens. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te, Deus.*

Fluuius. Fluuius eſt aqua fontis, perenniter fluentis: quæ ſi cum magno impetu decurrat, dicitur

Eccle. 1. Torrens: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.*

Riuus. Ex fluuio oriuntur Riui, ab eodem & ſitu,

Exod. 7. & fluxu diſtincti. *Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, & ſuper fluuios eorum, & riuos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, vt vertantur in ſanguinem.*

Lacus. Lacus eſt aqua ſtagnans, perpetuoque du-

Pſal. 7. rans:

rans: *Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit.*

Palus ſtagnat ſiccabiliter: *Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce aries vnus ſtabat ante paludem, habens cornua excelſa, & vnum excelſius altero, atque ſuccreſcens.* Palus.

CAP. 63.

Aqua artificioſa.

AQua artificioſa appellationem ſumit à varijs hydraulicis, ſiue machinis, ſiue artibus: omninò multiplex hic aquarum vſus, & luſus: ſic alibi exiguus riuulus ſuis anguſtijs artificioſè roboratus, ingentia molendinorũ pondera gyrat, molit omnis generis frumenta in tenuiſſimos puluiſculos, tundit ferrum, cuprum, calybem, ſecat ligna, metalla, ipſa etiam marmora. Aqua artificioſa.

Alibi per varios ductus corriuantur fontes, & contra innatam grauitatem in ſublime coguntur, ſçpè ad centum, ſæpè ad mille cubitus.

Mirum eſt, quod Lipſius meus, in ſuis Admirandis, de Romanorum Aquçductibus ſcribit: per illos ilices integra fluxiſſe flumina, non tantùm ad potum, ſed etiam ab balnea, ad Fullonias, ad Naumachias, ad Circos: imò domum quamlibet ſuas habuiſſe fiſtulas, quibus aquã à quadrageſimo milliari, per valles, per montes, per tot inæqualia, ſupra, infra terram ductam admitteret; tanti æſtimatam, vt ad eius tutelam ſexcenti homines perpetuo ſalario alerentur.

Denique

Denique aquis artificioſis meritò annumeramus etiam Chymicorum ſudores, & liquores, vel ex ipſo pumice coactos, tot foculis, tot fiſtulis. *Illud enim cupiditas acquirendi excogitauit, & artifex ſapientia fabricauit ſua.*

Sap. 14.

CAP. 64.

Aqua miraculoſa.

Aqua miraculoſa.

AQua eſt miraculoſa: naturaliter: 1. in calore. 2. in colore. 3. in odore. 4. in ſapore. 5. in temperie. 6. in fluxu, & refluxu. 7. in tot diuerſis medelis, & corruptelis, apud Scriptores paſſim celebratis. Plinius certè, dum miraculoſum ſuum fontem deſcribit, & ipſe legentium oculis miraculum facit.

Attuli tibi ex patria mea, inquit l. 4. epiſt. *pro munuſculo quæſtionem, altiſſimà iſtà eruditione digniſſimam. Fons oritur in monte, per ſaxa decurrit, excipitur cœnatiuncula, manu facta: vbi paululùm detentus, in Larium locum decidit: Huius mira natura: ter in die ſtatis actibus, ac diminutionibus creſcit, decreſcitque: cernitur id palam, & cum ſumma voluptate deprehenditur: iuxta recumbis, & veſceris, atque etiam ex ipſo fonte: nam eſt frigidiſſimus potus: interim ille certis, dimenſiſque momentis, vel ſubtrahitur, vel aſſurgit.*

Annulum, ſeu quid aliud ponit in ſicco, alluitur ſenſim, ac nouiſſimè operitur: detegitur rurſus, paulatim deſeritur: ſi diutiùs obſerues, vtrumq; iterũ, ac tertio videas: Spiritus ne aliquis occultior os fontis,

fontis, ac fauces modo taxat, modo includit, prout in latus incurrit, aut deceßit expulſus? Quod in ampullis, ceteriſque eiuſdē generis videmus accidere, quibus non hians, nec ſtatim patens exitus: nam illa quoque quamque prona, & vergentia per quaſdam obluctantis animæ moras crebris quaſi ſingultibus ſiſtunt, quod effundunt.

An quæ Oceani natura, fonti quoque? quáque ille ratione aut impellitur, aut reſorbetur; hac modicus hic humor vicibus alternis ſupprimitur, vel egeritur? An, vt flumina, quæ in mare deferuntur aduerſantibus ventis, obuioque æſtu retorquentur; ita eſt aliquid, quod huius fontis excurſum per momenta repercutiat? An latentibus venis certa menſura eſt; quæ, dum colligit, quod hauſerat, minor eſt, & pigrior; cùm collegit, agilior, maiorque profertur?

An neſcio quod libramentum eſt abſconditum, & cæcum, quod cùm exinanitum ſit, ſuſcitat, & elicit fontem; cùm repletur, moratur, & ſtrangulat? Scrutare tu cauſam: potes enim, quæ tantum miraculum efficiunt: mihi abundè eſt, ſi ſatis expreßi, quod efficitur.

Aqua miraculoſa ſupernaturaliter. 1. Diluuium, ex aëre, mari, & terra exundans, 15. cubitis ſuper altiſſimos montes: durans annum integrum, & decem dies, ac, præter non adeò magnam Noë cymbulam, omnia ſubmergens: *Et aquæ præualuerunt nimis ſuper terram: opertique ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cœlo.* Gen. 7.

Quin-

Quindecim cubitis altior fuit aqua ſupermontes, quos operuerat. Et deleuit omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram, ab homine vſque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cœli: & deleta ſunt de terra: remanſit autem ſolus Noë, & qui cum eo erant in arca.

2. Mare rubrum, tranſituris Iſraelitis diuiſum, ſiccatum, purgatum, ornatum, & vtrimq;
Exod. 14 muri inſtar conſtipatum: *Cùm extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente totâ nocte, & vertit in ſiccum: diuiſaque eſt aqua. Et ingreſſi ſunt filij Iſrael per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi à dextra eorum, & læua.*

Aquæ, è ſicciſſima petra eductæ per virgu-
Exod. 17 lam Moyſis: *Et ait Dominus ad Moyſen: Antecede populum, & ſume tecum de ſenioribus Iſrael: & virgam, qua percuſſiſti fluuium, tolle in manu tua, & vade. En ego ſtabo ibi coram te, ſupra petram Horeb: percutieſque petram, & exibit ex eâ aqua, vt bibat populus.*

4. Aquæ alię, puluere aurei vituli vitiatæ, nocentibus adoratoribus nociuæ; innocentibus
Exod. 32 innoxiæ: *Arripienſque (Moyſes) vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Iſrael.*

5. Aquę zelotypiæ, adulterorum indices, &
Num. 5. vindices: *Quas cùm biberit (mulier) ſi polluta eſt, & contempto viro, adulterij rea, pertranſibunt eam*

eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computreſcet femur: eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. Quòd ſi polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos.

6. Aquæ Iordanis, non vno miraculo nobiles. 1. Mundatione Naaman à lepra: *Deſcendit, & lauit in Iordane ſepties, iuxta ſermonem viri Dei, & reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri paruuli, & mundatus eſt.* 4.Reg. 5

2. Natatu ferreæ ſecuris: *Dixit autem homo Dei: Vbi cecidit? At ille monſtrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & miſit illuc: natauitque ferrum, & ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud.* 4.Reg. 6

3. Baptiſmo, & contactu Christi: *Tunc venit Ieſus à Galilæa in Iordanem, ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo.* Matth. 3

4. Recluſione cœlorum, & apparitione Patris cœleſtis in voce; Spiritus ſancti in columba: *Et ecce aperti ſunt ei cæli: & vidit Spiritum Dei, deſcendentem, ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Et ecce vox de cœlis, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ibid.

5. Miraculoſo tranſitu Arcę, & Hebręorum: *Populus autem incedebat contra Iericho: & ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Iordanis accincti, omniſque populus per arentem alueum tranſibat.* Ioſu. 3.

6. Miraculoſo tranſitu Eliæ, & Eliſęi: *Tulitque* 4.Reg. 2

que Elias pallium ſuum, & inuoluit illud, & percuſſit aquas, quæ diuiſæ ſunt in vtramque partem, & tranſierunt ambo per ſiccum. Poſtea *Eliſæus leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reuerſuſque ſtetit ſuper ripam Iordanis, & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diuiſæ: & dixit: Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc? Percuiſſitque aquas, & diuiſæ ſunt huc, atque illuc, & tranſijt Eliſæus.*

Ioan. 2. 7. Aqua, Chriſti imperio, in vinum verſa: *Dicit eis Ieſus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſque ad ſummum: Et dicit eis Ieſus: Haurite nunc, & ferte architriclino.*

8. Piſcina probatica, per Angelum mota, primo dumtaxat balneatori ſalutaris: *Eſt autem* Ioan. 5. *Ieroſolymis Probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam: & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate.*

Aqua miraculoſa commentitiè: per Hydromantiam, impoſturis fœcundiſſimam: quæ fit varijs modis: 1. per annulum, de filo ſuſpenſum in aqua, & vaſculi latera preſagis ictibus pulſantem.

2. Coniectis in aquam ſtatiuam lapillis, & obſeruatis

ſeruatis gyris, circa lapillos multifariam diffluentibus.

3. Ex aquæ colore,& imaginibus in ea apparentibus.

4. Ex cyatho, aquâ pleno, & verbis ſuperſtitiosè immurmuratis.

5. Ex aqua in catinum effuſa, admixtis olei guttulis: in quibus, ceu in ſpeculis, arcana cernantur.

6. Ex aquarum verticibus, & circumuolutionibus, variè ſonantibus.

7. Ex tribus pillulis, in aquam coniectis,quibus totidem ſuſpectorum hominum nomina ſint inſcripta.

8. Ex vitreis phialis, aquâ plenis, vnde puro puero,aut prægnanti mulieri inſpectanti,certæ figuræ, & imagines appareant.

Chariſsimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed 1.Ioã.4.
probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint: quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum.

CAP. 65.

Aqua frigida.

AQua eſt frigida frigiditate ſummâ, ex in- Aqua
trinſeco naturæ debito: aliàs ſæpè calida, frigida.
à cauſis varijs, & extrinſecis: præcipuè à ſubterraneis ignibus, perpetuo mineralium pabulo flagrantibus, & vicinas aquas ſui caloris vehementiâ,aut clementiâ mirè variantibus.

Hinc fit, vt quædam parum tepeant; quædam incaleſcant: aliæ omnino ęſtuent, & efferueſcant: nonnullæ reſtituto calore, & longo per frigida diſcurſu frigidè redeant.

Sunt denique, quę noctu calefiunt, interdiu verò tepent, vel etiam omnino frigent: ſeu quòd tunc nocturnũ frigus per antiperiſtaſin latentem calorem augeat; ſeu quòd halitus ęſtuarij (etiam ibi occultati) coërceantur, & aquam feruefaciant. Denſantur enim frigore, & pigri hęrent; cùm Sol recurrit, Aërque ſubtilior adlabitur, diſſipantur, & Aquã deſtituũt.

Accedit plerumque etiam extrinſecum frigus, quod impuris aquis (quales minerales ſunt) Aër aliunde infrigidatus penitiſſimè inſinuat.

Prou. 25 *Aqua frigida animæ ſitienti: & nuncius bonus de terra longinqua.*

CAP. 66.

Aqua humida.

Aqua humida. Aqua eſt humida, humiditate excellente, frigori ſic combinata, vt etiam illas aduentitias qualitates (calorem, colorem, odorem, ſaporem) & faciliùs, & tenaciùs recipiat: ex hiſce potiſſimùm fontibus, ſiue cauſis.

1. Ex multiplici Siderum aſpectu.
2. Ex varia Aëris adſpiratione.
3. Ex terra, varijs odoribus, ſaporibus, caloribus,

ribus, & coloribus infecta: quam alluens Aqua ſuo vel impetu auehit, vel contactu imbibit.
4. Ex ſubterraneis exhalationibus, ſulphure, bitumine, alumine, calce, ſale, vitiatis.
5. Ex ſuccis varijs, tum aliunde eliquatis, tum ſponte natis.
6. Ex vario metallorum, gemmarumque confinio.

Ex his, inquam, capitibus potiſſimùm fit, quòd nonnulli fontes adeò varios fundunt, refundúntque liquores; hîc amaros, nitroſos, ſulphureos; alibi ſalſiſſimos; alibi vltra ſimplicitatis rationem dulces; ſalubres alicubi, alicubi venenatos: hos candore, alios viriditate, ſæpè etiam rubedine conſpicuos, ſimileſque terræ, quam alluunt.

Iſaac diſcedens, vt veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi: rurſum fodit alios puteos, quos foderant ſerui patris ſui Abraham, & quos, illo mortuo, olim obſtruxerant Philiſthijm: appellauitque eos iiſdem nominibus quibus antè pater vocauerat. Foderuntque in torrente, & repererunt aquam viuam. Gen. 25.

CAP. 67.

Aqua liquida.

AQua eſt liquida: ita quidem vt quouis Aëre, etiam craſſiſſimo, ſit denſior: & quâuis humidâ terrâ rarior, magiſque glutinoſa: atque ideò pars fluens alteram ſecum trahe- Aqua liquida.

re, nec ſponte ſuâ ab ea diſtrahi, ſed vnâ parte fluente tota reliqua ſequi videtur: cùm enim ſit humida, ita in ſe conſiſtere nequit, vt proprijs terminis ſubſiſtat, quin fluat, & dilatetur,
Ioſu, 3. quouſque durioris rei terminis coërceatur: *Quæ autem inferiores erant, (aquæ) in Mare ſolitudinis (quod nunc vocatur Mortuum) deſcenderunt, vſquequo omnino deficerent.*

Nec tamen aquæ ſua abſiſtit liquiditas, quin per variam mixtionis temperiem concreſcere poſſit: Frigore quidem in glaciem, grandinem,
Pſ. 148. cryſtallum: *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.* Calore autem in ſuccos, ſales, lapides, metalla, plantas,
Gen. 2. aliáue mixta: *Nomen vni Phiſon: ipſe eſt qui circuit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum. Et aurum terræ illius optimum eſt: ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus.*

Poteſt item compingi, cogíque per diuerſiſſimos tubos, ita vt alibi guttatim ſtillet, alibi amnium inſtar fluat: occluſa exitum quærit, negatumque vi aperit: nec quidquam eſt tam violentum, & incontinens ſui, infeſtumque retinentibus, quàm coacta vis vndæ.

Ioſu, 3. *Ingreſſiſque eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, (Iordanis autem ripas aluei ſui tempore meſſis impleuerat) ſteterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes: apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Adom, vſque locum Sarthan.*

CAP.

CAP. 68.

Aqua ponderoſa.

AQua eſt ponderoſa,& deorſum inclinata, ſecundùm primigeniam ſuam indolem, vſque ad terræ ſuperficiem; in obſequium humanæ Oeconomiæ,etiam vlteriùs: in communi Vacui periculo, ſuſque deque mobilis: extra hoc aut ſtat, aut fluit, ſecundùm loci diſpoſitionem: in plano ſtat,mox ſtagnatura,niſi ventis agitetur: in deuexo fluit; leuiter, quando proprio dumtaxat pondere defertur; vehementer, & cum ſono, ſi illam ſpiritus intermixtus concitet: voluitur communiter ex Oriente in Occidentem, alicubi etiam ex Occidente in Orientem, ex Auſtro in Septentrionem, & hinc in Auſtrum. Aqua ponderoſa.

Factum eſt igitur manè, quando ſacrificium offerri ſolet, & ecce aquæ veniebant per viam Edom, & repleta eſt terra aquis. 4. Reg. 3

Miri omnino ſunt illi Marium fluxus,& refluxus, torſeruntque iam ſæpiùs etiam erudita ingenia: nuſquam ferè vniformes, & concordes,alibi magni, alibi exigui, alibi omnino nulli: ſemper tamen ſunt maiores in vaſto Oceano, quàm in anguſtis Sinibus ſuis.

An quia (vt Plinius ait) *totum in vniuerſitate animoſius eſt, quàm in parte? an quia magnitudo aperta Sideris vim laxè graſſantis efficaciùs ſentit, eandem anguſtijs arcentibus: qua de cauſa nec la-*

cus, nec amnes ſimiliter mouentur.

Præterea & temporis in æſtu eſt diſcrimen. Oceanus ſenis horis in Germanorum oris intumeſcit, ſenis detumeſcit: idem ad Garumnę fauces, ſeptenis ſubit, ſeptenis fugit: aiunt ad Guineam quaternis accedere, octenis recedere: in Calicuto incrementa fieri in plenilunijs, alibi in nouilunijs: alibi lentiſſimo, vt vix ſenſibili augmento; alibi tantâ rapacitate, vt accolę vix celerrimo motu euadant. Nec etiam eadem vbique ſunt incrementa: vnde non adeò mirum, Stoicos olim hallucinatos, qui, vt huius viciſſitudinis cauſam aſſignarent, ex Mundo animal fecêre, quod narium ſpiraculis immenſos hos aquarum gurgites ſorberet, redderetque: verius alij hanc Hydromachiam occultis Lunæ viribus, & diuerſis eiuſdem cum Sole
Pſ. 147. cogreſſibus adſcribunt. *Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.*

CAP. 69.

Aqua actiua.

AQua eſt actiua: multifariam.

Iud. 6. 1. Madefacit: *Oro te, vt ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens.*

Gen. 18. 2. Abluit: *Afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore.*

Eccli. 3. 3. Extinguit: *Ignem ardentem extinguit aqua: & eleemoſyna reſiſtit peccatis.*

4. Re-

4. Refrigerat: *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc. 16.

5. Conglutinat: *Hæc cùm dixiſſet (Ieſus,) expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius.* Ioan. 9.

6. Quàm profundè deſcendit, tam altè aſcendit: *Qui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium pertranſibunt aquæ.* Pſ. 103.

7. Medetur: quædam oculis, quædam neruis, quædam toti corpori, quædam inueterata, & deſperata vitia percurat, quædam vlceribus prodeſt, quædam interiora fouet potu, & pulmonis, & viſcerum querelas leuat; quædam ſupprimit ſanguinem: & tam varius eſt ſingulis vſus, quàm guſtus.

Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacumque detinebatur infirmitate. Ioan. 5.

Hoc denique Elementum (vt Plinius l. 31. c. 1. philoſophatur) ceteris omnibus dominatur. Terras deuorant aquæ, flammam necant, ſcandũt in ſublime, & Cœlum ſibi quoq; vendicant, & nubium obtentu, interceptuque Spiritum ſtrangulant: quæ cauſa etiam elidit fulmina, ipſo ſecum diſcordante Mundo: *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota eſt terra.* Pſal. 96.

Ion. 1. Quid eſſe admirabilius poteſt Aquis, in Cœlo ſtantibus? *Et remigabant viri, vt reuerterentur ad aridam, & non valebant: quia mare ibat, & intumeſcebat ſuper eos.*

Imò illæ (ceu parum ſit in tantam altitudinem peruenire) rapiunt eò ſecum etiam piſcium agmina: ſæpè etiam lapides ſubuehunt, portantes aliena pondera: eædem, è ſublimi

Iac. 5. cadentes, omniũ terra naſcentium cauſa fiunt.

Elias, homo erat ſimilis nobis paſſibilis: & ora-

3. Reg. *tione orauit, vt non plueret ſuper terram: & non*

17. & 18 *pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſum orauit: & cœlum dedit pluuiã, & terra dedit fructũ ſuum.*

CAP. 70.

Aqua paſſiua.

Aqua paſſiua. AQua eſt paſſiua: & more aliorum Elementorum, pugnæ, cladiq́ue obnoxia: potiſſimùm per putrefactionem, exſiccationem, obſtructionem: pręſertim ſubterranea, de qua ita Seneca, lib. 3. quęſt. naturalium, c. 15. *Caterùm vt in noſtris corporibus, ita & in illa (terra) humores vitia concipiunt, cùm aut ictus, aut quaſſatio aliqua, aut loci ſenium, aut frigus, aut æſtus corrupêre naturam, & ſulphuratio contraxit humorem: qui modo diuturnus eſt, modo breuis.*

Ergo vt in corporibus ſanguis, cùm percuſſa vena eſt, tamdiu manat, donec omnis affluxit, aut donec vena ſciſſura obſedit, atque iter clauſit, vel

alia

alia aliqua cauſa retrodedit ſanguinem: ita in terra ſolutis,ac patefactis venis, Riuus, aut flumen effunditur. Intereſt, quantum aperta ſit vena, & quomodo conſumpta aqua ſit: modo exſiccatur aliquo impedimento, modo coit, velut in cicatricem, comprimitque, quam fecerat, viam, &c.

Olim certè, in illo fatali Orbis interitu, vltrò ad ſuam primæuam libertatem aquæ redibunt: & quæ nunc, iubente naturâ,ſcindunt, circumeuntque, momento complebunt, ac mergent omnia, diluuio perpetuo.

Et dixit, qui ſedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Apoc. 21.

CAP. 71.

Elementum terra.

Terra, ſic dicta, quòd noſtris calcata veſtigijs,identidem teratur: à Græcis appellatur γῆ.quaſi ipſa ſit Sinus fœcundiſſimus,omnia effundens, omnia recipiens. Sic nos ex terra producimur, in terra viuimus, à terra nutrimur, per terram afficimur, reficimurque variè,& tandem in terram reuocamur, & recondimur, à reliqua natura abdicati. Elementum terræ.

Adæ verò dixit (Deus:) In ſudore vultus tui veſcêris pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuertêris. Gen. 3.

Hinc Plinius, lib.2. c.36. & ipſe etiam Ec-

Eccli.40 cleſiaſticus, illi *Matris* nomen tribuunt: *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.*

Alij vocant *Nutricem*: alij *Naturæ ancillam*: alij *Promptuarium* diuinæ Prouidentiæ: alij Mundi *viuarium*: alij *Hoſpitium* humanæ vitæ: alij denique eiuſdem *Theatrum*: in quo duo ſunt oſtia, nempe vitæ Ortus, & Occaſus: oſtia anguſtiſſima, & non, niſi nudo Actori,
Iob. 1. patula: iuxta illam Iobi Philoſophiam: *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.*

CAP. 72.

Terra natiua.

Terra natiua. TErra eſt natiua: Elementum, ortu, vſuque primum; ſitu imum. Eſt autem ſita, vel potius pendula in medio Vniuerſi: ſeu, vt magnus ille Iobus philoſophatur, fundata ſuper nihilum: *Quis enarrabit cælorum rationem, &*
Iob.38. *concentum cæli quis dormire faciet? Quando fundebatur puluis in terra, & glebæ compingebantur?*

Imò ipſa penè eſt nihil: nempe cæleſtia ſpatia aſpicientibus, & inde deſpicientibus hoc terræ punctum: in quo mortales errant, bellant, regna diſponunt: minima, etiam cùm illis vtrimque Oceanus occurrit: data filijs hominum

minum in domicilium; rectiùs in exilium: vbi luteæ domus ſunt, etiam cùm auro rigent, ac radiant. *Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* 2.Cor.5

Rotunda manſit, etiam poſtquã aquę mixta fuit: *Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum: & appareat arida. Et factum eſt ita.* Gen.1.

Diuiſa variè: partim à Natura, partim ab Arte. A natura diuiditur communiter per ſuas naturales figurationes, & ſitus: in Continentes, Inſulas, Peninſulas, Iſthmos, Promontoria, Montes. Colles, Valles, Conualles, Campos, Syluas, Littora, Oras, Portus. Diuiditurá Natura.

Continens eſt terra, quę ampliore aliquâ ſuperficie ſibi cohęret; atque differt à ceteris terris, ſicut Oceanus à reliquis pelagi partibus: & quęcumque terra Continens non dicitur, ea vel eſt Inſula, vel Peninſula, vel Iſthmus. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præſunt operibus: & ſciens dolorem eius, deſcendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & ſpatioſam; in terram, quæ fluit lacte, & melle.* Conti-nens. Exod. 3.

Inſula eſt pars terrę, à maioribus eiuſdem partibus ſeiuncta. Numerus Inſularum maximus eſt, & propè infinitus: certumque eſt, Inſula.

quaſdam

quaſdam ſubinde mergi, emergere alias: maxima omnium, Anglia cenſetur in Europa; in Africa S. Laurentij; in Aſia Iapan; in America noua Guinea: de qua tamen adhuc dubitatur, an Inſula ſit, vel Continenti adhęreat.
Iſa. 49. *Audite inſulæ, & attendite populi de longè: Dominus ab vtero vocauit me; de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei.*

Peninſula. Peninſula, vel Cherſoneſus, quę vndique ferè aquis clauſa, non niſi in anguſto tractu continenti nectitur: cuius generis eſt Peloponeſus aurea, Cimbrica, Taurica, & America
Iſa. 60. Norombegica, & ſi quę alię. *Me enim inſulæ expectant, & naues maris in principio, vt adducam filios tuos de longè; argentũ eorum, & aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, & ſancto Iſrael, quia glorificauit te.*

Iſthmus. Iſthmus dicitur terra, quę vtrimque mari intercipitur, & deſinit communiter in Cherſoneſum. Hodiè potiſſimùm quinque numerantur. 1. Anguſtus eſt in dorſo Arabię, Africam, & Aſiam connectens.

2. Huic ferè anguſtia, & nauigantium frequentia ſimilis, in ſinu Occidentali magno, qui Americam Septentrionalem, & Auſtralem brachio exiguo copulat.

3. Corinthiacus.

4. Inter mare Caſpium, & Euxinum.

5. Danicus, &c.

Iſa. 60. *Tunc videbis, & afflues, & mirabitur & dilatabitur*

tabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris. fortitudo gentium venerit tibi.

Promontoria quoque permulta ſunt: vt in Italia Lacinium, & Zephyriũ: in Sicilia Lilybæum: in Africa Bonæ Spei: in Aſia Sigęum: in America S. Auguſtini cum longo aliorũ catalogo. Sicut & Montes, ceterçque naturales terrarum differentiæ, penè innumeræ ſunt. *Et aquæ præualuerunt nimis ſuper terram: opertique ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat.* Promõtoria. Gen. 7.

Ab Arte diuiditur Terra. 1. Phyſicè ſeu georgicè per zonas, ſiue diuerſas aëris temperies; alibi gelu rigidas, alibi æſtu torridas, alibi ex vtroque temperatas. *Benedicite frigus, & æſtus Domino: laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula.* Diuiditur ab Arte, Phyſicè. Dan. 3.

2. Diuiditur Coſmographicè: in plagam Orientalem, Meridionalem, Occidentalem, & Septentrionalem. *Erit ſemen tuum, quaſi puluis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem.* Coſmographicè. Gen.

3. Aſtronomicè, per diuerſa Climata, ſeu diſcrimina dierum longiſſimarum. Aſtronomicè.

4. Sciotericè, per vmbras in eas portiones, quas Periſcij, Heteroſcij, & Amphiſcij deſignãt. Sciotericè.

5. Topographicè, ſecundùm diuerſos Periæcorum, Antæcorum, Antipodum ſitus. Topographicè.

6. Geographicè per quoſdam geometricos circulos, ſphæricè concinnatos, commenſuratoſque Geographicè.

toſque (proportionaliter) cæleſti Aſtronomorum partitioni: vnde tot illæ tabulæ (in quibus abſentes pictum percurremus orbem) prodeunt.

Politicè. 7. Politicè, in Orbes partiales, Regiones, Regna, Territoria, Prouincias, Agros, Ciuitates, Vrbes, Oppida, Caſtella, Arces, Emporia, Vicos, Pagos, Villas, Tuguria, & paſſim ſparſas, Aulas Regum, ac Principum, Academias, ceteraſque terrę ſedes, & incolarum, & rerum geſtarum memoriâ celebres. *In diebus Aſſueri, qui regnauit ab India vſque Æthiopiam, ſuper centum viginti ſeptem prouincias: quando ſedit in ſolio regni ſui, Suſan, ciuitas regni eius exordium fuit.* Eſth. 1.

Ceterùm hæc Politica terræ partitio, primæuo mundi ſæculo incognita, longè pòſt à diſcordibus Noachi filijs cœpta, omnem Orbem in tres diſtinxit partes, ſiue partiales Orbes, Europam, Africam, Aſiam: Hęcque Trithotomia perpetuata fuit vſque ad tempora Ptolemæi: qui tribus cognitis, inſuper quartam partem incognitam adnumerauit: ſed adnumerauit.

Americus primùm anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono poſt Chriſtum natum intrauit, & à ſe nominauit: ſecuti ſunt deinde alij noſtri ſæculi Nauarchi, qui inſuper quintam, & ſextam adderent.

Magellanes anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo Magellanicam: nautæ Batavi anno mille-

millesimo quingenteſimo nonageſimo quarto, Hyperboream, ſiue Terram Borealem, inauſpicato aditu: neutra etiamnum hodiè ſatis detecta.

Et ambulabunt Gentes in lumine tuo: & reges in ſplendore ortus tui. Iſa. 60.

Singulas recentiſſimi Geographi hac ferè ſylloge deſcribunt:

Europa, ceteris terrę partibus cultior, Aſia, & Africâ minor: ab eiſdem ſeiungitur mari Mediterraneo, ponto Euxino, Meotide palude, Tanai, Duinaque, fluuijs. Europâ.

Regiones eius pręcipuę ſunt, Hiſpania, Gallia, Germania, Belgium, Italia, Hungaria, Tranſyluania, Dalmatia, Gręcia, Polonia, Lituania, Moſcouia, Roxolania, ſiue Ruſcia, Dania, Suecia, Northuegia, Gothlandia, Finlandia.

Inſulæ eius, occidentales: Anglia, Scotia, (vno diremptæ fluuio) Hibernia.

Boreales, Iſlandia, Herlandia, Friſlandia, & alię minores.

Mediterraneæ, Corſica, Sardinia, Sicilia, Maiorica, Minorica, Melita, (hodiè Maltha) Corcyra, Cephalenia, Zacynthus, Creta, Mitylene, Euboea, Lesbus, Chius, Cyclades, & quædam aliæ.

Monarchæ potentiores, Imperator Rom. Reges, Hiſpaniæ, Galliæ, Britanniæ, Daniæ, Sueciæ, Poloniæ.

Montes primarij, Alpes, Pyrenæi.

Flumina

Flumina præcipua, Danubius, Rhenus, Albis, Viſtula, Boryſtenes, & Tanais. Tagus, aurifer Hiſpanorum; Rhodanus, & Garonna Gallorum; Tameſis Britannorum.

Pſal. 23. *Domini eſt terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo. Quia ipſe ſuper maria fundauit eum: & ſuper flumina præparauit eum.*

Africa. Africâ, maior Europâ, Aſiâ minor: vtrâque minus culta: ab eiſdem ſeparatur mari mediterraneo, & rubro; Iſthmoque, qui eſt inter Ægyptum, & Terram, Iſraelitis promiſſam.

Regiones eius ſunt Barbaria, Numidia, Lybia, Nigritania, Æthiopia, (interior & exterior) Ægyptus.

Inſulæ, in Oceano Atlantico, Canaria, Portus ſanctus, Madera, Capo-verde, ſeu Caput viride: in Æthiopico, S.Thomæ, & S.Helenæ: in Orientali, ſeu in ſinu Barbarico duæ principales, S.Laurentij, ſiue Madagaſcar, & Zecotara: præter alias innumeras, ſed incultas.

Moderatores eius: Reges in Maroco, Feſſa, Algeria, Congi: atque in Æhiopia interiore Imperator Abyſſinorum.

Montes præcipui, Atlas, Sierra, Liona, ſiue Rupes leonum.

Flumina nobiliora, Nilus, Niger, Senaga,
Thren. 4 Gambra, Zaire, Cuaua. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum? Filij Sion*

Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?

Aſia, Europâ, & Africâ vaſtior: dirimitur ab illa per Tanaim, & Duinam: ab hac per Iſthmum, qui eſt inter Mare mediterraneum, & Sinum Arabicum. Diuiditur in Minorem, & Maiorem. Aſia.

Minor continet Moſcouiã, Tartariam, Natoliam, Pontum, Bithyniã, Sabrum, Lyciã, Galatiam, Pamphyliam, Cappadociam, Ciliciam. Minor.

Maior continet Syriam, Palæſtinam, Phænicam, Galilęam, Arabiam, Turcomanniam, Georgiam, Perſiam, Indiam Orientalem, Regionem Sinarum. Maior.

Parti, & Medi, & Alamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociã, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoq;, & Proſelyti, Cretes, & Arabes: audiuimus eos loquẽtes noſtris linguis magnalia Dei. Inſulę minoris Aſiæ ſunt, Tenedos, Lesbos, Chios, Samos, Icaria, Pathmos, Lecia, Claros, Cous, Caſos, Carpatus, Rhodus, Cyprus. Act. 2.

Inſulæ maioris Aſiæ ſunt ferè innumeræ; inter quas hæ, inſtar ſtellarum, maiores elucent, Zeilan, Sumatra, Chorea, & Iapan, Borneo, Iaua duplex, Macazar, Celebes, Ambon, Moluccæ, Philippinæ, &c.

Monarchæ eius ſunt Imperatores Moſcouiæ, Tartariæ, Turciæ.

Reges. Perſiæ, Ormuzij, & Indiarum: vbi etiam multa Regi Hiſpano parent. Mons eius primarius, imò totius mūdi maximus, eſt Taurus, totam Aſiam tranſcurrens; cuius latitudo trium millium ſtadiorum, longitudo quadraginta quinque millium: qui varias appellationes ſortitur. Præcipua flumina ſunt, Iaxantes, Tigris, Indus, Ganges, Iris, Melas, Xanthus,

Thren. 4 Pactolus, Pyræmus, Cydnus. *Qui veſcebantur voluptuosè, interierunt in vijs: qui nutriebantur in croceis amplexati ſunt ſtercora. Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus.*

America. America, Europâ, Africâ, Aſiâ amplior: diuiditur in Borealem ſiue Septentrionalē, & Meridionalem ſiue Auſtralem.

Borealis Borealis vndique ferè mari cingitur, niſi quòd prope opidum, quod nomen Dei habet, attingat Peruanam.

Regiones eius pręcipuę ſunt, Quinira, Noua Hiſpania, Nicaragua, Iucatam, Florida, Apalchen ſeu Virginea, Norumbega, Noua Francia, Terra laboratoris, & Eſtotilandia.

Meridionalis. Meridionalis etiam vndique mari cingitur, niſi vbi per Iſthmum iungitur Boreali. Regiones eius præcipuæ ſunt, Caſtella aurea, Peruuia, Chile, & Braſilia.

Inſulæ circumiacentes permultę: maiores ſunt, Hiſpaniola, (ex qua lignum Guaiacum adfertur)

adfertur) Pariana, Cuba, Iamica, & Canibalorum Inſulæ.

Reguli eorum quamplurimi: Regi Hiſpano magna eiuſdem pars paret: Gallo aliquid in Florida: Britanno Virginea. Montes in Peruuia ſunt altiſſimi, & in iiſdem aurifodinæ ditiſſimæ. Flumina famoſióra tria recenſentur, *Rio de la plata*, Fluuius argẽteus, Maragnon, & Orellana, qui etiam Amazonum Fluuius nominatur. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* Iſa. 60.

Magellanica, ab inuentore ſuo ſic dicta. Magellanica. aliàs etiam Terra Auſtralis incognita nuncupatur: adiacet illi noua Guinea: inde circa fretum Magellanicum Inſula *del fuego*, quę initio pars continentis habita fuit, ſed nouiſſimis nauigationibus Inſulam eſſe compertum eſt.

Sequitur inde verſus ortum Inſula de Creſſalia, vel, vt alij volunt, Promontorium. Item regnum Lurach Beach, auriferum, Maletur aromatiferum: cum ceteris vaſtiſſimis regionibus, necdum ſatis cognitis.

Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Ibid.

Hyperborea, pars terræ omnium minima, Hyperborea. Regiones continet, Polo Arctico vicinas: ab Occidente Groeſlandiam, & Grochlandiam: cui adiacet inſula Margaſter, & Noua Zembla,

bla, vrſis albis, & vulpibus referta. Ab ortu habet regnum Mongul, & Tabin. Sub ipſo Polo quattuor inſulæ eſſe dicuntur: quarum vnam ſaluberrimam eſſe aiunt: altera Pygmæorum: tertia,& quarta, non niſi ratione ſitus cognitæ.

Ibid. *Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurũ,& thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.*

In his ſingulis Orbis partibus ſi deniq; conſiderentur, 1. Situs, cuique loco proprius, tam in ordine ad Cœlum, quàm ad ipſam Terram. 2. Magiſtratus, Eccleſiaſticus & Politicus. 3. Fertilitas, in rebus mineralibus, vegetabilibus, animalibus, irrationabilibus, & rationalibus, mirum eſt, quot, & quanta rerum diſcrimina in tantillo terrę punctulo multiplicentur: nonnullis vix de nomine nota: Sciolo Coſmophilo ſaltem ex Tabulis Geographicis inueſtiganda: magno & loculorum, & oculorum compendio.

Pſal. 8. *Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos.*

CAP. 73.
Terra artificioſa.

Terra artificioſa. TErra eſt artificioſa: talis eſt omne luteum Figulorum plaſma: & quidquid ferè in humana ædificia vel à terra, vel è terra ſumitur:

Ierem. 18. *Et deſcendi in domum figuli, & ecce ipſe faciebat opus*

opus ſuper rotam. Et diſsipatum eſt vas, quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis: conuerſuſque fecit illud vas alterum, ſicut placuerat in oculis eius, vt faceret. Illa ipſa antiqui Orbis miracula, nihil aliud ſunt, quàm terræ rudera: olim Cœlo, nunc ſolo æquata, & hodiè vix nomine nota: niſi de eodem Arihitectorum ſcholæ litigarēt, vario vocabulorum prælio: dum hæc euderata Antiquitatis opera appellant, iam Tuſcana, iam Dorica, aliàs Ionica, aliàs Corinthia: nomina ignotiſſima noſtris primis Architecturæ Magiſtris: qui ſcilicet fuêre nidificantes aues, & ſylueſtres feræ, excauatâ humo tectæ: ab his didicimus primò lutea mapalia, humileſque attegias ſtruere, contra Cœli iniurias: inde ad ædiculas progreſſi, deinde ad domos, multarum familiarum capaces; mox ad vicos; demum ad opida, tot propugnaculis vallata: ſæpè vt tueamur luxū, ſponte mœnibus arcendū.

Lætatus eſt autem in aduentu eorum Ezechias, & oſtendit eis domum aromatum, & aurum & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoque, & domum vaſorum ſuorum, & omnia, quæ habere poterat in theſauris ſuis. 4. Reg. 20.

CAP. 74.

Terra miraculoſa.

TErra eſt miraculoſa. Naturaliter.

I. America in nouo Orbe, (vt de vetere taceamus) intra zonam torridam habitabilis, Terra miraculoſa.

contra Antiquitatis opinionem.

2. Eadem hiemis tempore, quo Sol longiùs abſceſſit, temperatior.

3. Ibidem matutinum tempus ſerenum, & tranquillum; meridianum nimboſum, & pluuioſum.

4. Prouincia Braſilienſis, Boreali Oceano expoſita, calidiſſima: at Peruenſis, eodem climate Auſtrali obiecta Oceano, tẽperatiſſima eſt.

5. In eadem regione Pothoſienſi, & Platenſi vrbes, exiguo interuallo diſtantes, adeo frigore, & calore diſcrepant, vt Platenſis temperata, & frugifera ſit; Pothoſienſis præfrigida, & infrugifera. Ita Epiſtolæ Indicæ Societatis Ieſu.

Pſal. 56. *Præcinite Domino in confeſſione: pſallite Deo noſtro in cithara. Qui operit cœlum nubibus: & parat terræ pluuiã. Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Qui dat iumentis eſcam ipſorum & pullis coruorũ inuocantibus eum.*

Terra miraculoſa ſupernaturaliter. 1. Contra naturalem inclinationem ſupra aquas eleuata, tertio creationis die: *Dixit verò Deus:*
Gen. 1. *Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum: & appareat arida.* Et *factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationeſque aquarum appellauit Maria.*

2. A Deo maledicta, & mox ſterilitatẽ paſſa:
Gen. 3. *Adæ verò dixit: Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus*

ribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi.

3. Eius pulueres, in cineres conuerſi citiſſimè, copioſiſſimè: *Et extendit Aaron manũ, virgam tenens: percuſſit que puluerem terræ, & facti ſunt ſciniphes in hominibus, & in iumentis: omnis puluis terræ verſus eſt in ſciniphes per totam terram Ægypti.* Exod. 8.

4. Diſrupta eſt terra ſub Dathan, & Abiron, contra Moyſen murmurantibus: *Confeſtim igitur, vt ceſſauit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis & vniuerſa ſubſtantia eorum. Deſcenderuntque viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Num. 16

5. Terra mota eſt aliquoties fortiore brachio, quàm naturæ ſit: *Totus autem mons Sinai fumabat: eò quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo, quaſi de fornace: eratque omnis mons terribilis.* Alibi: *Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt.* Exod. 19. Matth. 27.

6. Ingens collis, extruendo templo aduerſus, iuſſu S. Gregorij Thaumaturgi, aliò tranſlatus eſt. Gregorius Nyſſenus, in eius vita.

Terra miraculoſa commentitiè: per vaniſſimam Geomantiam: quà Magi Geomantici futura prẹmonſtrare ſolent, ex varijs terrẹ motibus, crepitu, tumore, tremore, ſciſſura, voragine, exhalatione, ceteriſque compreſſionibus,

plerumque etiam ex ambiguis punctis, Terræ, aut caſu, aut vi inſcriptis: horum proprietates, conditiones, ſignificationes, & apoteleſmata etiam publicis typis mandata ſunt: flammis di-
1.Tim.4 gniora. *Ineptas autem, & aniles fabulas deuita.*

CAP. 75.

Terra ſicca.

Terra ſicca.

TErra ſicca eſt ſiccitate ſummâ: nempe ſecundùm naturæ rigorem: in noſtrum verò commodum vbique ferè intermeantibus temperata humoribus: etiam ad noſtrorũ corporum exemplar: in quibus (vt ait Seneca, l.3. natur. quæſtion. c.15.) *venæ ſunt, & arteriæ: illæ ſanguinis, hæ ſpiritus receptacula: ita in terra quoque ſunt alia itinera, per quæ aqua, & alia, per quæ ſpiritus currit: adeò illam ad ſimilitudinem humanorum corporũ Natura formauit, vt Maiores quoque noſtri aquarum appellauerint venas. Sed quemadmodum apud nos non tantùm eſt ſanguis, ſed multa genera humoris: alia neceſſarij, alia corrupti, ac paulo pinguioris: in capite cerebrum, in oſsibus medullæ: muci, ſaliua, lacrymæ, & quidquid additum articulis, per quod citiùs moueantur ex ludicro: ſic in terra quoque ſunt humoris genera complura: quædam quæ matura durentur: hinc eſt omnis metallorum humus, ex quibus aurum, argentumque petit Auaritia: & quæ in lapidem ex liquore vertuntur: in quibuſdam verò Terra humore*

more liqueſcit; ſicut bitumen, & cetera his ſimilia.

Speciosa miſericordia Dei, in tempore tribulationis, quaſi nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis. Eccli. 35

CAP. 76.

Terra frigida.

TErra eſt frigida excellenter: vario tamen aduentitio colore temperata: & hinc diuerſa ſecundùm diuerſas mundi plagas, diuerſorum & morum, & morborum ſedes. Terra frigida.

Orientalis, cùm temperatiſſimo aëre, nulliſque inquinamentis infecto, gaudeat, ac corpora noſtra minimè immutet, omnium æqualiſſima, & ſaluberrima cenſetur. *Abram tranſgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum ſuum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai: ædificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius.* Orientalis. Gen. 12.

Occidentalis in calore, & frigore ſat quidem eſt temperata: at in humiditate (morborum matre) aliquatenus excedit. vnde eius incolæ morboſiſſimi ſunt. *Egreſſus Moyſes de conſpectu Pharaonis, orauit Dominum. Qui ſtare fecit ventum ab occidente vehementiſſimum, & arreptam locuſtam proiecit in mare rubrum: non remanſit ne vna quidem in cunctis finibus Ægypti.* Occidẽtalis. Exod. 10

Aquilonaris, frigida, ſicca, tenuis, & ſubtilis eſt; roborat corpora, ſenſus firmat, & acuit: obnoxia tamen eſt hæmorrhagijs, lippitudinibus, febribus acutis, & vt plurimùm pleuritidi. *Et* Aquilonaris. Ierem. 1

factum eſt verbum Domini ſecundo ad me, dicens: Quid tu vides? Et dixi: Ollam ſuccenſam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis. Et dixit Dominus ad me: Ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ.

Meridionalis. Meridionalis omnium peſſima eſt, propter caliditatis, & humiditatis exceſſum, morbis à fluxione natis infamem. Num. 13 *Cumque aſcendiſſent, explorauerunt terram à deſerto Sin, vſque Rohob intrantibus Emath. Aſcenderuntque ad meridiem, & venerunt in Hebron, vbi erant Achiman, & Siſai, & Tholmai, filij Enac.*

Ceterùm cuiuſlibet Terræ ingenium, & indolem his fermè indicijs exploramus.

1. Ex certa mundi plaga.
2. Ex diuerſo ſitu.
3. Ex viriditate, aut ariditate.
4. Ex fertilitate, aut ſterilitate.
5. Ex odore, & fœtore.
6. Ex duritie, aut mollitie.
7. Et præcipuè ex vaporibus, atque exhalationibus, earumque ſobole, varijs meteoris, cometis, fulguribus, fulminibus, pluuijs, pruinis, ventis, fluuijs, puteis, fontibus, & latentibus metallis, à patrio ſolo haud degenerantibus.

Gen. 13. *Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur, antequam Dominus ſubuerteret Sodomam, & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor.*

CAP.

CAP. 77.

Terra grauis.

TErra eſt grauis:& ponderibus librata ſuis, in medio Vniuerſi quieſcit, immota:ita hodie Peripatetici philoſophantur, contra priſca, nouaque Geomachorum deliria: putantium Mundo ſtante terram ipſam in gyrum verti, atq; nos eſſe, quos rerũ Natura neſcientes ferat: nec Cœli motu fieri Ortus, & Occaſus: ipſos nos oriri, & occidere: contra quos iam olim Seneca,lib.7. quæſtion. natural. c. 2. rem dignam contemplatione iudicauit eſſe, *vt ſciamus,in quo rerum ſtatu ſimus: pigerrimam ſortiti,an velociſſimam ſedem: circa nos Deum omnia, an nos agat.* Terra grauis.

Et meritò hodiè Copernica Terræ gyratio Eccleſiaſtico anathemate eſt ſufflaminata: tum quia repugnat claris S. Scripturæ tabulis, manifeſtis experientijs, receptis (& Phyſicorum, & Aſtronomorum) principijs: tum quia tollit ex Vniuerſo motum ſimplicẽ ſurſum, & deorſum: tum quia ſingulis rebus (grauibus, & leuibus) inducit motum circularem; cuius principium aſſignari nequit.

Alij rationabiliùs litigant,an,& quanta ponderis, violentiæque acceſſio æquilibrium terræ labefactare poſſit? Certè magnus Archimedes coram Dionyſio, Syracuſanorum Regi, auſus eſt dicere: *Da mihi,vbi ſiſtam pedem,& hanc ego terram*

terram loco mouebo: inde iuſſus edere ſpecimen, vnâ manu lęuâ quinquies millenum modiorum pondus attraxit: nauem maximam, in littus ſiccũ eiectam, & grauiſſimè oneratam, ad ſe perinde traxit, ac ſi in mari remis ageretur.

Sap. 13. *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes agnouerunt, quis eſſet artifex: ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem, & lunam, rectores orbis terrarũ deos putauerunt.*

CAP. 78.

Terra ſolida.

Terra ſolida. TErra eſt ſolida, & in baſim, cui inſiſtimus, denſata, tornataq́ue quaſi ſphæricè: ſed exorbitante paſſim rotunditate, & ſicut humanum caput, varijs prominentijs, depreſſionibuſq́ue variatum; ita hæc montibus, vallibus, campis, ac ſyluis interpolata. Sunt autem Montes, totiùs Terræ firmitudo, & veluti vallum, & contignatio ad continendas totius machinæ partes: communiter verò ad Maris litora producuntur, ipſumq́ue Mare, tamquam vas, continent, & firmiſſimis fundamentis coërcent.

Horum pleroſque tertio originum die productos eſſe, ait S. Damaſcenus l. 2. fidei Ortho-
Gen. 1. dox. c. 9. & 10. *Et ait (Deus:) Germinet terra herbam*

herbam virentem. & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram.

Multos tamen etiam poſteris temporibus vel è planitie eductos, vel ad planitiem reductos eſſe, Scriptorum monumenta teſtantur: quod inprimis aquarum vi, & impetu, deinde etiam terræ motibus accidere ſolet: interdum etiam effrenata ventorum violentia arenam vndique ſublatam, vnum in locum congerit,& ingentes cumulos, monteſq́; efficit, intermixtis humoribus conglutinatos. *Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: & transferētur montes in cor maris. Sonuerūt & turbatæ ſunt aquæ eorum: conturbati ſunt montes in fortitudine eius.* Pſal. 45.

CAP. 79.

Terra actiua.

Terra actiua.

TErra eſt actiua: mirè, variè: nempe vt noſtris ſiue alimentis, ſiue delectamentis ancilletur: non tamen omnis fert omnia Tellus: & ſicut nec ſqualor, ita nec fœcūditas vel vbique, vel ſemper eſt: olimque felices prouentibus terræ, nunc ſterilibus arenis informes ſunt, ac vaſtæ: & quæ quondam crudo aëre horrebant, non tantùm iam in fruges, ſed & in voluptatum inſtrumenta luxuriant: adeo eſt ex totius Orbis pulchritudine, illius partes in multiplices habitus, vultuſque tranſire.

Neque

Neque aſtra, licet certis itineribus ſemper curſum tenentia, aëri motus eoſdem, & effectus ſolent infundere: ideoque quamuis iiſdem ſpatijs omnes anni in orbem excurrant, nullus tamen in totum, aut eum imitatur, qui præceſſit, aut exemplum eſt ſecutum.

Sed & alia huius diuerſitatis cauſa eſt: nimirum voluit prouidus Deus, vt quibus vna Regio ob ſoli fœcunditatem abundat, iiſdem alia ob ſterilitatem indigeret: ſic omnes mutuis auxilijs in communem ſocietatem iungendæ.

Exod. 3. *Ait Dominus (Moyſi:) Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui; propter duritiam eorum, qui præſunt operibus: & ſciens dolorem eius, deſcendi, vt liberem eum de manu Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & ſpatioſam; in terram, quæ fluit lacte, & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, Heuæi, & Iebuſæi.*

Ceterùm Terra, etiamſi Adam non peccaſſet, nihilominùs germinaſſet tribulos, & ſpinas; ſed haud nocituras innocenti Colono. Nunc

Gen. 3. autem *Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ.*

CAP. 80.

Terra paſſiua.

Terra paſſiua. TErra eſt paſſiua: & cui proprium eſt ſtare. *Generatio præterit, & generatio aduenit: ter-*

Eccle. 1. *ra autem in æternum ſtat.*

Sæpè

Sæpè in ruinam fluctuat, non tantùm cùm per ſuum colonum, hominem premitur, ferro, ligno, igne, fruge; ſed etiam cùm à natura quatitur, impetu validiore: ita vt aliquando ex imo concuſſa tremat, ſæpè etiam in partes diuiſa diſcedat: numquam tamen vniuerſim, & (vt Scholæ loquuntur) ſecundùm ſubſtantiam ruitura: *Et terræ motus magni erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames, terroreſque de cælo, & ſigna magna erunt.* Etiam in illa fatali orbis turbine: *Cælum, & terra tranſibunt: verba autem mea non præteribunt.* Ita Magni Theologi docent, apud Adamum Tannerum, tit. 1. diſp. 6. q. 4. d. 5. art. 3. Matth. 24. Ibid.

Partes eius promiſcuè concuti, labefactari, ruere, etiam Ethnica Philoſophia agnouit, & ſui ſæculi (an etiam noſtri?) Coſmophilos hoc ſufflamine, apud Senecam l. 5. quæſtion. natural. cap. 1. caſtigauit:

Perpetua ſibi omnia promittentibus in mentem non venit id ipſum, ſupra quod ſtamus, ſtabile non eſſe: neque enim Campaniæ iſtud, aut Achaiæ, ſed omnis ſoli vitium eſt, male cohærere, & ex cauſis pluribus reſolui: & ſummam manere, partibus ruere: & quemadmodum in vrbibus magnis nunc hæc domus, nunc illa ſuſpenditur; ita in hoc Orbe terrarum nunc hæc pars vitium facit, nunc illa: omnia eiuſdem ſortis ſunt: & ſi nondum mota, tamen mobilia: hunc fortaſſe, in quo ſecurius conſiſtis, locum hæc nox, aut hic ante noctem dies ſcindet.

Coſmo-

Coſmophile, caue, ne ſecus philoſophatus aliquando vnà ruas, numquam ſurrecturus:
Prou. 27 *Ne glorieris in craſtinum, ignorans, quid ſuperuentura pariat dies.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE